

cere se ad sequendas sententias mitiores, & etiam minus tutas & minus probabiles, dummodo sint vere tute & vere probabiles, ne scrupulosi continuo anxientur in indagandis sententis probabilioribus, & turtioribus. IV. Non iudicare quidquam esse peccatum mortale, nisi certo pro tali cognoscatur. V. Bonorum vitam & consuetudinem tamquam regulam intueri. VI. Fugere otium & vagas cogitationes, quia saepe sapius sunt scrupulorum origo. VII. Destruere causas scrupulorum, v. gr. solitus frequentare scrupulosos, ipsos debet; ignorans, instructionem petat; pusillanimus animum concipiat; melancholicus evacuet medicamentis atram bilem; pertinax frangat suum iudicium, superbus suae praetense prudentiae non fidat, & humilitati, & sui abnegationi studeat; tepidus spiritus fervori & virtutum exercitio, meritiq; augmento incumbat; timidus meditetur bonitatem Dei, iuxta illud Sapient. 1. *Sentite ac Domino in bonitate, reflectendo non esse tam rigidum Deum, ut hominibus bonae voluntatis peccata adscribat, poenamq; decernat; & sic de ceteris proportionaliter.* VIII. Nosse scrupulosorum privilegia. Nempe quod non teneantur in agendo ad examen & diligentiam tantam, quantum alii, sed ad valde medicrem; & quod non teneantur confiteri dubia, sed solum quae certo jurare possunt, quod commiserint, aut consenserint, & non sint confessi, unde ex praeteritis confessionibus nihil tenentur repetere, nisi certe sciant esse mortale, aut non esse confessum; non sunt autem certi, quamdiu dubitant. Quae privilegia sunt valde notanda a scrupulosis & scrupulosorum Confessariis. Unde Confessarii non debent permittere, quod scrupulosi confiteantur, & repetant in suis confessionibus scrupulos, vel dubia, sed solummodo peccata, quae certo sciunt esse mortalia, & se rite confessos non esse; & debent cum ipsis resolute procedere, & ne scrupulis scrupuli inducantur, debent abstinere a multis discursibus & probationibus, cum saepe in illis non desit materia novorum scrupulorum, sed urgent sunt scrupulosi, ut simpliciter credant, & plene obediant Confessario, quia juxta illud Proverbior. 21. num. 28. *Vir obediens loquitur victorias.*

124 Licitum est operari contra conscientiam scrupulosam manente scrupulo; dummodo tunc iudicetur esse scrupulum, & ut talis contemnatur. *Est communis.* Colligitur ex cap. Inquisitionis 44. *de sentent. excomm.* ubi quaesito, an conjux scrupulum habens de validitate matrimonii teneatur abstinere ab eius usu, respondet Pontifex his precisis verbis: *Conscientia levis, & temerarie creditatis explosa potest non solum reddere, sed etiam exigere debitum conjugale.* Et ratio est, quia conscientia scrupulosa nittitur solum levibus atque frivolis rationibus, ac proinde ejus iudicium est imperfectum, atque imprudens; ergo prudenter, licite ac laudabiliter cum ipsa manente scrupulo potest operari. Unde qui ex assignatis signis supra num. 110. & maxime ex Confessarii iudicio scit se esse scrupulosum, prudenter contra scrupulum agit; immo debet illum firmiter contemnere, & resolute, ac intrepide contra eum operari; scrupulus enim non excludit iudicium practicum probabile aut certum, ratione ejus ultimi iudicii practici supra scrupulum reflexi scrupulosus iudicat licite & prudenter suam conscientiam scrupulosam cognitam, esse firmiter contemendam, & contra eam operandum, cum tale iudicium reflexum sit didicamen prudens contra imprudens.

125 Qui operatur, nondum deposita, sed adhuc perseverante conscientia scrupulosa, si non iudicat & teneat esse scrupulum, peccat, sive contra, sive juxta eam operetur, quia tunc conscientia scrupulosa transit in conscientiam erroneam vincibilem, ac proinde eodem modo est de ea discurrendum, ut de conscientia erronea vincibili fuit conclusum supra num. 20. & 21. Si vero quis sit ita perplexus, ut utrumque oppositorum iudicet esse peccatum, & ita sit scrupulus datus, ut nullo suffragante remedio vel consilio possit iudicare esse scrupulum, sed adhuc maneat dubius, an id scrupulum sit, necne, ac proinde se resolvere nesciat; tunc conscientia scrupulosa evadit conscientia dubia, ac proinde est discurrendum de ea, ut de conscientia dubia fuit resolutum supra numer. 34. 35. 36. & 37.

Definit Auctor, tum dividit conscientiam cum Scholasticis. Rectus conscientia definitur: *Judicium, quod quilibet gerit de propriis actionibus comparatis cum ideis, quas tenet de certa norma, quae lex dicitur, ita ut intra semetipsum colligas illas cum his aut convenire, aut non convenire.*

Est autem conscientia, vel antecedens, vel consequens. Illa de nondum edita vel futura actione, haec de praeterita & jam perpetrata actione iudicat.

Rursus conscientia, vel est decisiva, vel dubia. Decisiva, quando decisive & confidenter quis pronuntiat hoc vel illud cum lege congruere, vel eidem adversari. Estque conscientia decisiva, vel demonstrativa, vel probabilis. Demonstrativa est, quae nittitur rationibus demonstrativis, quantum quidem rerum moralium in dolens patitur, adeoque semper recta, aut conformis legi est. Probabilis, quae verisimilibus tantum rationibus utitur, & sic aut recta est, aut erronea, prout opinio illa in se ipsa cum lege, aut convenire, aut non convenire deprehenditur.

Dubia est, vel irresoluta, vel scrupulosa. Irresoluta est, quando utrum una pars amplectenda sit nescimus ob rationes utrinque sese offerentes si non perfecte aequi valoris, tamen ad minimum tales, ut neutrobique quidquam ita validum deprehendamus, cui certum, firmumque iudicium valeamus superstruere. De qua est regula: *Quamdiu auctori heret iudicio, actio erit suspendenda.* Dissentit vero Got. Ger. Tit. observ. 19. ad Puffendorf. lib. 1. cap. 1. §. 6. de offic. homin. & civ. Sed ejus argumentum inde facile dissolvitur, quod is, cui dum aliquid agit perinde est, sive permissum id, sive prohibitum a Deo sit, aperte Deo insultat, ejusque legem reputat pro nihilo. *Scrupulosa* conscientia levissimis, aut inanibus quibusdam difficultatibus animo subortis gignitur, ut interea ab altera parte nulla praegnantis appareat dubitandi ratio.

(Circa regulas n. 38. 48. 50. 51. & 90. insertas, vide lit. A. pag. 249. n. 27. lit. B. pag. 375. num. 57. lit. F. pag. 6. n. 13. in fin. leg. 5. tit. 33. part. 7. Ad rem lex 4. tit. 8. part. 7. 4. tit. 11. lib. 8. Ord. Reg. 4. tit. 3. lib. 8. Recop. Castel. lit. D. pag. 91. num. 48. in fin. cum lit. C. pag. 212. num. 3. leg. 40. tit. 18. part. 3. 36. tit. 5. ibi: Et terceros: part. 5. Vide etiam tit. 29. part. 2.)

## CONSECRARE, CONSECRATIO.

CONSECRATIO episcopalis suscipienda est intra trimestre a die confirmatae electionis; Concil. Trident. sess. 23. cap. 2. de reform. Benedic. XIV. constit. incip. In postremo, §. 2. Consecratio episcopalis die dominico, vel natalio Apostolorum est sumenda, nisi Papa dispensaverit. Idem ibid. §. 20.

Consecratio Episcoporum juxta vetustorem disciplinam a Metropolitanis peragebatur, eoque tantummodo injuste eam denegante, Romanus Pontifex consecrationis munus impendebat; Idem ibid. §. 15. Ad praesens jus consecrandi Episcopos per se, vel per alium, ad Romanum Pontificem est devolutum. Idem ibid. §. 15. 16. & 17.

Consecrationis episcopalis delegatio, nunc juxta veterem restitutum formulam & mandatum de consecrando ad eum dirigitur Episcopum, quem sibi consecrandum elegit. Circa vero Episcoporum consecrationes, quae in urbe peraguntur, statutum est consecrandum, cui facultas sit eligendi consecratorem, seligere debere aut unum ex Cardinalibus episcopali characteris insignitum, aut aliquem ex quatuor Patriarchis plerumque in urbe residentibus, scilicet vel Constantinopolitanum, vel Alexandrinum, vel Antiochenum, aut Hierosolymitanum; Eo tantum excepto casu, quo nemo ex praefatis, quod per difficile est, oblatum sibi consecrationis peragenda munus acceptum haberet: In hac quippe casu hypothetici, facta est Episcopo consecrando facultas adeundi alium quemcumque Archiepiscopum, Episcopumve, qui

## CONSERVATORES.

### ARTICULUS PRIMUS.

Quoad ea, quae concernunt conservatorum qualitatem, electionem & durationem.

#### SUMMARIUM.

- 1 **C**ONSERVATORES qui sint: a quo eligendi: qua forma: an debeant esse in dignitate constituti: numerantur qui conservatores esse possunt, ad num. 11.
- 2 **R**egulares an possint eligi: Judices synodales an esse debeant: quid faciendum dum a synodo designantur: ubi sunt eligendi: quod intra tempus penes curiam episcopalem documentum est presentandum, secus enim coram Ordinario sunt constituendi, ad num. 20.
- 3 **C**onstitutio D. Gregorii XV. attendenda: quas poenas incurram dicte constitutionis forma non servata: an possint eligi a superioribus Generalibus, vel Provincialibus, vel Localibus: quid si aditus consuetudo, ut locales superiores eligant, ad numer. 26.
- 4 **E**lecti seu deputati quando amoveri, vel mutari possint: causa recensentur ob quas recitari possint, ad num. 28.
- 5 **Q**uo tempore clapo libere eligendus conservator: si elabatur, & non detur electio, praecedens perseverat usquequo alius eligatur: quando expirat officium, & Jurisdiclio eorum si Judices synodales esse desinant, ad num. 31.
- 6 **N**ovae addit. inseruntur, ad num. 33.

CONSERVATORES communiter definiti solent, quod sint particulares Judices a Summo Pontifice delegati ad alios defendendos contra manifestas injurias, molestias & violentias absque indagine judiciali; deducitur clare ex cap. Statutum 1. de offic. Judic. delegat. in 6. ubi sic praecise habetur: "Statuimus, ut conservatores, quos plerumque concedimus, a manifestis injuriis & violentiis defendere possint, quos eis committimus defendendos, nec ad alia, quae judicalem indaginem exigant, suam possint extendere potestatem." Et consimiliter colligitur ex cap. Hac constitutione 15. eod. in 6.

Conservatores sibi eligere possunt regulares omnes, nedum qui ad hoc expressa & peculiariter privilegia a Sede apostolica obtinuerunt; sed & ceteri alii virtute communicationis privilegiorum cum ipsis, ut expresse declaravit Sacra Congregatio Concilii 12. Septembris 1620. Conservatoriae regularibus concessae non sunt sublatae per decretum Concilii Tridentini sess. 24. de reform. cap. 20. etiam quod causa graves sint, & plenarium cognitionem requirant; Sacra Congregatio Concilii in Mediolan. teste Rota part. 2. recent. decis. 616. in Ossen. Jurisdictionis 12. Decembris 1614. & sic etiam fuisse decisum sub die 18. Januar. 1594. referet Aldan. in compend. canonic. resolut. lib. 4. tit. 8. num. 10. Conservatores debent eligi ad praescriptum; cap. Statutum 11. de rescriptis; cap. Statutum 1. & cap. Hac constitutione 15. de offic. delegati in 6. & praecipue ad praescriptum constit. Gregorii XV. incip. Sanctissimus: quae cum sit specialis norma & regula pro conservatoribus, hic subnectitur ad promptiorem omnium commoditatem.

§. 1. Sanctissimus in Christo Pater, & Dominus noster Gregorius divina providentia Papa XV. ex ceteris rationalibus causis animum suum moventibus, & de voto Venerabilium Fratrum suorum sanctae romanae ecclesiae Cardinalium Concilio Tridentino Interpretum, partim felic. record. Clement. Papae VIII. praedecessoris sui vestigiis inharendo renovavit, ac nullas & invalidas decrevit omnes, & quascumque iudicium conservatorum erectiones, nominationes, seu deputationes, tam

ei consecrationem impenderet. Idem ibid. §. 16. ubi in fine scholasticus: Neque in his edendis conditionibus excidit nobis Metropolitanum memoria, cum constituerimus, ne si in urbe praesentes sint Metropolitae, ejusque Suffraganeus, consecratio Suffraganei, cuiquam, praeterquam suo Metropolitae, delegetur.

Presbyter, sive a Pontifice Maximo, sive a quocumque alio Episcopo ordinatus, consecrari nequit Episcopus sine speciali mandato Romani Pontificis. Idem ibid. §. 17. Consecratio Episcoporum ex indulto apostolico peragi potest ab uno Episcopo, una cum duobus Abbatibus, vel aliis duobus in ecclesiastica dignitate constitutis. Benedic. XIV. constit. incip. Ex tuis praecipis §. 21.

Consecrationis ecclesiarum munus est episcopali dignitati reservatum. Benedic. XIV. const. consr. Ex tuis praecipis. Diocesano Episcopo ita competit consecratio ecclesiarum suae diocesis, ut extraneo cuiuscumque Episcopo absque diocesani delegatione licere non possit. Idem ibid. §. 2. Simpliciter Presbyter nequidem ex delegatione Episcopi competere potest facultas consecrandi ecclesias; ibid. §. 2. & sequent. Ex pontificia tamen delegatione hujusmodi consecrationis munus simpliciter Presbytero competere potest. Idem ibid. §. 1. & 12. Vide ad id jam tradita verb. Ecclesia art. 4.

Consecratur ecclesiam Episcopus potest ex juxta causa missam Sacerdoti celebrandam committere. Benedic. XIV. constit. incip. Peracto a nobis, §. 1. Consecrationem ecclesiae ab uno Episcopo inceptam potest alter perficere, modo nimis longum temporis spatium non intercurrat; ibid. §. 16. ubi solvit obiectum.

Consecrationem ecclesiae, vel ab uno Episcopo, vel a pluribus simul, tamquam Communitatis peragi potest. Idem ibid. §. 4. & sequent. ubi id comprobatur scriptorum auctoritate & exemplis. Ipsum quoque munus benedicendi, unguendique cruce, Episcopi consecrantes inter se partiti possunt. Idem ibid. §. 10. & sequent. usque ad 16. ubi id probatur pluribus exemplis & argumentis, ac solvit rescriptum Sacrae Congregationis Rituum, in causa Ulyssiponensi.

Consecratio jure peragitur ejus ecclesiae, quam merito ambigimus unquam fuisse consecratam. Bened. XIV. constit. incip. Jam inde §. 1. 4. & 5. ubi adducit perspicuam ad id definitionem Bened. XIII. in Concilio Romano tit. 25. cap. 3.

Ecclesia a primo lapide reaedificata, vel etiam parietibus tantum renovata, debet nova consecratione dicari. Idem ibid. §. 10. Ecclesiae parietes si non uno tempore, sed per partes, diversisque temporibus fuerint reaedificati, vel si ecclesia igne comburatur, vel corruat, aut destruat, an & in quibus ex his casibus, sit re-consecranda ecclesia? Vide ipsum ibid. §. 7. ad 13. & jam tradita & conclusa a nobis; verb. Ecclesia art. 4. d. num. 19. ad 25. inclusive.

Consecrationis jam deperditae officium an adhuc liceat recitare? Variant Doctores adducti; Bened. XIV. ibid. §. 22. merito propendit pro affirmativa continuationis; fultus potissimum exemplo duarum Basilicarum Lateranensis & Vaticanae, in quibus ad veterum consecrationum recordationem diu fuit reventa officii recitatio, etsi novis positis constructionibus, veteres amplius non superestarent consecrationes, uti plane, ait ipse, Bononiae haecenus factitatum.

Si parietes ecclesiae sint destructi, & a fundamentis iterum reaedificentur, ecclesia jam consecrata iterum consecranda est, ut ex tit. de consecrat. eccles. vel alt. firmant Canonista; insit. eccles. 67. §. 2. Officium vero recitari debet de priori consecratione, non de secunda; ibid. §. 6.

Consecratio altaris plane distincta est a consecratione ecclesiae, ut ex Pontificali Romano adnotatur; ibidem §. 8.

Alia ad rem, vide verb. Altare, verb. Ecclesia, verb. Episcopus, & verb. Eucharistia. \*

in vim literarum conservatoriarum juxta formam in quintero Cancellariae descriptam, quam in vim quorumcumque privilegiorum perpetuo, vel ad tempus non elapsam apostolica auctoritate concessorum, seu alias quocumque jure, vel titulo hactenus factas, quo quibuscumque conventibus, capitulis, militibus etiam Sancti Joannis Hierosolymitani, congregationibus, collegiis, ordinibus, monasteriis, hospitalibus, aut aliis quibusvis locis piis, tam secularibus, quam cujusvis ordinis Mendicantium, seu instituti, vel societatis; regularibus locis quantumvis exemptis, etiam de necessitate exprimentis, seu illorum personis cujusvis qualitatis, seu conditionis existant.

§. 2. In futurum vero Sanctitas sua hac generali & perpetuo valitura constitutione statuit & decrevit, ut Judices conservatores hujusmodi, sive principales, sive subrogati eligi nominari, aut deputari non possint, nisi non solum habeant qualitates requisitas & descriptas in constitutione felicis recordationis Bonifacii VIII. etiam praedecessoris sui, quae incipit *Statutum*: ita ut vel dignitate ecclesiastica praediti, vel personatum obtinentes, vel ecclesiarum cathedralium Canonici existant; sed etiam in Conciliis provincialibus, aut diocesanis juxta decretum Concilii praedicti Judices electi, seu designati sint.

§. 3. Quocumque deinceps litera conservatoriae per sedem apostolicam concedenda superscriptis tantum dirigitur, & si quae aliter expeditur, illae, ac deputaciones hujusmodi, omniaque exinde sequenda nullius sint roboris, vel momenti.

§. 4. Et nihilominus, qui secus quam juxta formam superius praescriptam, conservatores hujusmodi cum effectu eligere, nominare, seu deputare, aut electis, nominatis, seu deputatis uti ausi fuerint, regulares quidem voce activa & passiva sint jure privati, adeo ut habilitationem a nemine praeterquam a Romano Pontifice consequi valeant; reliqui vero aliiis poenis arbitrio Sanctitatis suae coercerantur, & praedictorum omnium contentus, monasteria, ac loca hujusmodi, eorumque personae, ac bona careant conservatori ad annum, ita ut illorum causae interea coram locorum Ordinariis dumtaxat cognosci, ac definiti debeant.

§. 5. Ceterum ut latius pateat conservatorum hujusmodi deligendorum facultas, Sanctitas sua admonitos voluit omnes locorum Ordinarios, ut in synodis provincialibus, aut diocesanis, quamplures personas, ex habentibus qualitates in praedicta constitutione ejusmodi Bonifacii praedecessoris contentas, & alioquin ad id aptas designari procurrent, & si aliquem interim ex dignitate mori contigerit, substituat Ordinarius loci cum consilio capituli alium in ejus locum, usque ad futuram provincialem, aut diocesanam synodum.

§. 6. Insuper Sanctitas sua inherendo hac in parte decreto felicis record. Gregor. Papae XIII. etiam praedecessoris sui statuit & ordinavit, ut regulares, ac personae hujusmodi in Italia intra duos, extra Italiam vero infra sex menses a die publicationis in urbe praesentis constitutionis inchoandos, debeant sibi eligere, seu assumere conservatores juxta formam superius propositam.

§. 7. Ejusque electionis, seu assumptionis documentum infra tempus hujusmodi penes acta Curiae Ordinariae exhibere & dimittere teneantur; alioquin eo termino elapso quamdiu conservatores secundum formam praesentis constitutionis non elegerint, coram eisdem Ordinariis conveniantur.

§. 8. Quodque conservatores hujusmodi semel legitime deputati, nisi ex legitima causa a Sede apostolica, aut locorum Ordinariis, prout iisdem regularibus, & aliis supra dictis liberit, approbata durante quinquennio a die deputacionis, amoveri, aut deputari nullatenus possint, aut valeant.

§. 9. Ad haec statuit Sanctitas sua, ut coram ipsis conservatoribus regulares, ac personae superscriptae conveniri quidem, aut trahi debeant, sed alios conveniri, aut trahere non possint, ita ut memorati conservatores in causis, in quibus regulares & alii actores fuerint, nullam prorsus jurisdictionem habeant; sed in iis tan-

tum, in quibus rei extiterint, neque extra civitates, seu dioeceses, in quibus fuerint deputati contra quoscumque procedere praesumant.

§. 10. Si qua vero inter Judices conservatores hujusmodi, & locorum Ordinarios controversia super competentia jurisdictionis orta fuerit, nequaquam in causa procedatur, donec per arbitros in forma juris electos super jurisdictionis competentia fuerit judicatum.

§. 11. Quod si conservatores, sive in hac parte, sive alias quomodolibet suos limites excesserint, per annum ab officio conservatoris hujusmodi suspensi sint, & pars, quae hoc fieri procuraverit, sententiam excommunicationis incurrat; juxta formam alterius constitutionis ejusdem Bonifacii praedecessoris, quae incipit *Hac constitutione*, quam Sanctitas sua in omnibus, quae praesentibus constitutionibus non adversantur, innovavit, ac innovat.

§. 12. Per hoc tamen non intendit Sanctitas sua prohibere, quominus regulares, & alii supra dicti in casibus a jure permissis petant Judicem non suspectum ab principibus, seu magistratibus secularibus; dum tamen haec tria copulative concurrant, videlicet, ut regulares & alii praedicti sint actores, non autem rei; ut quae agant contra Laicum, non aut contra Ecclesiasticum, vel alias a jurisdictione seculi exemptum; atque ut causa, in qua Judex deputatur, fuerit profana, non ratiem ecclesiasticam, & in ea, juxta sacrorum canonum dispositionem, laicus ut praefertur eligendus, Judex competens existat.

§. 13. Observantiam praemissorum praecipit cum decreto irritanti.

*Datum Rome 29. Septembris 1721. Pontificatus anno primo Bullar. tom. 4. pag. 80.*

Sequitur dubium super dicta constitutione exortum cum sua declaratione.

In constitutione de conservatoribus edita a sanctorum Gregor. XV. ex sententia Sacrae Congregationis Concilii inter cetera statutum est, ut coram conservatoribus regulares conveniri quidem, aut trahi debeant, sed alios conveniri, aut trahere non possint, ita ut memorati conservatores in casibus, in quibus regulares & alii actores fuerint, nullam prorsus jurisdictionem habeant, sed in his tantum, in quibus rei extiterint.

Dubatur nunc: An per haec verba sublata sit facultas, quam habent conservatores, defendendi regulares & alios a manifestis injuriis & violentiis, quae illis de facto inferuntur, dum a suis possessionibus dejiciuntur, & propriis bonis uti, ac frui impediuntur.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Interpretum censuit, ejusmodi verbis minime sublatam fuisse facultatem, quam habent conservatores defendendi regulares a manifestis injuriis ac violentiis, dummodo observent formam praescriptam in constitutionibus Innoc. IV. & Bonifacii VIII. relatis in cap. 1. & final. de offic. deleg. in sexto. — Cardin. de Torres. — Prosper Fagnanus Sacrae Congregationis Secretarius.

Eligendi in conservatores debent esse in dignitate ecclesiastica constituti, textu expresso in cap. Hac constitutione 15. de offic. delegati, & in dicti. consilii Gregorii XV. §. 2. Unde conservatores esse non possunt nisi Episcopi, aut eorum superiores, id est, Archiepiscopi, Patriarchae & Cardinales, vel Abbates, seu dignitates, vel personatus in cathedralibus, vel collegiatis ecclesiis obtinentes; ibid. Aut Canonici ecclesiarum cathedralium existentes, cit. consilii Gregorii XV. §. 2. ibi: *Vel ecclesiarum cathedralium Canonici existant; & cap. Statutum 11. de rescriptis.* Canonici autem ecclesiae collegiatae, quamvis sint eximii Doctores, nequeunt esse conservatores, quia conservatores ex citata Gregoriana debent esse Judices synodales, ut declaravit Sacra Congregatio Concilii in *Alexandrina*, ut refert Barbosa *dect. apostolicar. collectan. 90. num. & dicta Gregoriana* expresse requirit, quod sint Canonici ecclesiarum cathedralium. Vicarius generalis Episcopi potest eligi in conservatorem regularium; Sacra Congregatio Concilii 23. *Obobris* 1623. Sic etiam potest eligi Vicarium capitularem, Sede vacante, tenent Riccius *variar. resolut. 349. num. 3. Monacell. tom. 1. in append. ad Formular. an-*

notat. ad consilii Gregorii XV. incip. Sanctissimus, n. 17. & alii regulares, quamvis dignitate regulari fulgentes, non posse eligi in conservatores respondit Sacra Congregatio Episcoporum & Regularium Archiepiscopo Turritano 7. *Septembris* 1617. ut refert Barbosa *de offic. & potestate Episcoporum* part. 3. d. leg. 106. num. 25. At Sacra Congregatio Concilii sub die 2. Martii 1619. censuit *Abbatem Ordinis Olivetani posse eligi in conservatorem, si Episcopus in synodo cum deputati Judicem synodalem, ut refert Barbosa, ibid. & tenent Nidus de conservatoribus, cap. 3. part. 3. num. 18. cum Moneta & Passerin. ibi citat. Barbosa apostolicar. dect. collecti. 216. num. 15. Monacell. loc. cit. num. 17. & alii.*

Conservatores debent esse Judices synodales: Gregor. XV. in dicti. consilii. incip. Sanctissimus §. 2. ibi: *Sed etiam in Conciliis provincialibus, & in dioecesanis, juxta decretum Concilii praedicti, Judices electi, seu designati sint.* Dato autem quod non adsint Judices synodales, possunt a regularibus eligi non Judices, donec sit celebrata synodus, & in ea Judices sint designati, ut pluries declaravit Sacra Congregatio Concilii, & signanter 7. Junii 1623. 17. Augusti 1623. 23. Augusti 1627. & Sacra Congregatio Episcoporum & Regularium die 4. Decembris 1671. decrevit, dandam esse infrascriptam declarationem aliis decernit, & signanter ad instantiam Patrum Societatis Jesu, quam ad litteram refert Fagnanus *lib. 1. decret. in c. Si Clericus 5. de for. compet. n. 59. tenoris, ut sequitur.*

Gregorius Papa XV. felicis record. in sua constitutione de conservatoribus statuit & decrevit, ut in futurum a regularibus eligi non possint in conservatores nisi Judices in Conciliis provincialibus, seu diocesanis designati, sub poenis & censuris in dicta constitutione contentis.

Quibus stantibus, Patres Societatis Jesu, qui in Indiis & aliis locis degunt, in quibus Archiepiscopi, seu Episcopi synodum congregare non curant, vel si congregant, Judices synodales non eligunt, supplicant humiliter DD. VV. Illustrissimis, ut dignetur declarare, si in tali casu possint uti privilegiis a sancta Sede Apostolica ante dictam constitutionem concessis.

Die 17. Augusti 1626. Sacra Congregatio Illustrissimae Cardin. Conc. Trident. Interpretum censuit, Episcopos quam primum diocesanam synodum omnino celebrare teneri, & interim in civitatibus & diocesis, in quibus nulli Judices extant in Concilio provinciali, sicut diocesano designati, licere regularibus, servata in reliquis forma constitutionis felicis record. Gregorii XV. hac de re editae, conservatores nominare habentes qualitates a jure requisitas. Quorum tamen conservatorum facultas eo ipso expirat, cum primum hujusmodi synodus celebrata, in eaque Judices designati extiterint.

Conservatores debent eligi a regularibus in unaquaque dioecesi, in qua monasteria, conventus, seu domos regulares habent; sic enim censuit Sacra Congregatio Concilii in *Rossanensi* 15. Aprilis 1628. & in *Lancia-nensi* 29. Januarii 1633. praecisis verbis, nempe: *Regulares debere eligere Conservatores in singulis dioecibus, in quibus monasteria, conventus, seu domos regulares habent.* Regulares licet ex dicti. consilii Gregorii XV. sub §. 6. fuerint adstricti ad sibi eligendos conservatores infra duos menses in Italia, & extra Italiam infra sex menses a die publicationis in Urbe ipsius constitutionis; tamen ii regulares, qui tempore sibi in dicta constitutione Gregorii XV. praefixo, conservatores eligere non curaverunt, dicto tempore elapso, quando-cumque his liberit, conservatores juxta formam dictae constitutionis eligere possunt, ut declaravit Sacra Congregatio Concilii 18. Septembris 1627. prout ex Sello refert, & tenet Barbosa *supra Concilii. sess. 14. capit. 5. num. 9.* Electionis conservatoris documentum est relinquendum penes acta curiae episcopalis, aliis regulares sunt conveniendi coram Ordinario loci. Sic dicta Gregoriana §. 7. Et ad hoc tenentur ante exercitium suae jurisdictionis sub poena nullitatis actum, ut declaravit Sacra particularis Congregatio deputata ab Innocentio X. 16. Aprilis 1648. in responsione ad tertium decimum propositum dubium conceptum, ut sequitur: *Tertio decimo, an*

conservatores nominati, & electi a regularibus praescriptis ante exercitium suae jurisdictionis teneantur electionis authenticum documentum exhibere coram Ordinario sub poena nullitatis actum? Respondit. 1. ubique teneant, & confirmavit ipse Innocentius X. 14. Maji 1648. constituit. incipit Cum sicut accepimus: Conservatores sunt eligendi ad praescriptum dictae constitutionis Gregorii XV. non obstantibus quibusvis privilegiis, utpote reductis ad terminos ipsius constitutionis; sic expresse dicta specialis Congregatio deputata ab Innocentio X. in responsione ad quintum, & confirmavit ipse Innocentius X. in dicti. consilii. incip. Cum sicut accepimus: Regulares eligentes conservatores non servata forma Greg. XV. incurrunt ipso jure privationem vocis activae & passivae, nec possunt rehabilitari nisi a Summo Pontifice, & eorum conventus & monasteria, eorumque personae caenot conservatore ad annum, & interim illorum causae cognosci, & definiti possunt, & debent solum ab Ordinariis locorum; sic expresse dicta Gregoriana §. 4.

Conservatores regularium possunt eligi vel a superioribus generalibus, vel provincialibus, vel localibus juxta religionum consuetudinem; dicti enim constituit. Gregoriana incipit. Sanctissimus: non speciat personas regulares, quae possint & debeant conservatores eligere, sed dicit indefinite regulares, unde videtur relinquere electionem juxta probatas religionum consuetudines & speciales suas constitutiones. In iis tamen religionibus, quibus juxta suam consuetudinem, constitutiones & privilegia, solent conservatores eligi per superiores locales, debet intervenire etiam consensus capituli, ut tenent Bordon. tom. 2. Concil. regul. resolut. 95. num. 16. Passerin. in cap. Hac constitutione quant. univ. de offic. delegati. in 6. num. 287. Petrus Martyr Urcean. in summar. Ordin. Praedic. part. 4. cap. 4. Nidus de conservatoribus cap. 1. part. 5. num. 2. & alii; & colligitur ex constit. S. Pii V. incip. Ad hoc nos Deus: in qua de conservatoribus in Ordine Praedicatorum eligendis sic dicit: *Per eosdem fratres, seu moniales, ac dicti Ordinis fratrum Praedicatorum superiores, & domorum priores, & eorum singulos pro tempore eligendos in eorum, & dictorum eorumdem privilegiorum, indulgarum, concessionum & gratiarum, & singulorum aliorum praemissorum conservatores & Judices unicos &c.* Quibus verbis modum eligendi conservatores exprimit, ipsosque per superiores locales, una cum fratribus, & respective sororibus capitulariter congregatis eligendos esse demonstrat, ut observant Petrus Martyr Urcean. & Nidus loc. cit. In Ordine autem Minorum de Observantia facultas eligendi conservatores videtur restricta ad provinciales privative quoad Guardianos, seu Superiores locales ex constit. generalib. Ordinis cap. 12. §. 21. disponentibus, ut sequitur: *Provinciales itaque infra spatium sex mensium pro unoquoque loco conservatores nominasse & elegisse teneantur, ac debeant juxta apostolicas constitutiones, id sane statim & decernimus sub poena privationis officii negligentibus subeunda, ex quibus verbis, & praecipue ex illis, pro unoquoque loco, deducitur privative quoad Guardianos, vel Superiores locales. Et ubi adest similis constitutio, & probata consuetudo, quod eligantur per solos provinciales, valida est electio etiam sine consensu capituli, ut tradunt Confessus in cal. privil. tom. 4. Urcean. & Nidus l. c. sub n. 7. & alii.*

Conservatores regularium semel legitime electi, aut deputati, nisi ex legitima causa a Sede Apostolica, aut locorum Ordinariis, prout eisdem regularibus & aliis praedictis liberit approbata, durante quinquennio a die deputacionis, amoveri, aut mutari nullatenus possunt; sic expresse dicta Gregoriana, incipit. Sanctissimus §. 8. Causae autem possunt esse inimicitia suborta, impotentia, negligentia & omnes illae, ob quas recursari potest Judex. Regulares quinquennio elapso possunt alium conservatorem libere sibi eligere, nam pontificae constitutiones amotionem electi intra quinquennium dumtaxat prohibent; at si ad aliam electionem procedere minime curent, aut nolint, electus etiam elapso quinquennio, adhuc in officio perseverat, usquequo alius eligatur; nec est necesse ipsum confirmare, vel reeligere, siquidem da-

Gregorius stantibus, Patres Societatis Jesu, qui in Indiis & aliis locis degunt, in quibus Archiepiscopi, seu Episcopi synodum congregare non curant, vel si congregant, Judices synodales non eligunt, supplicant humiliter DD. VV. Illustrissimis, ut dignetur declarare, si in tali casu possint uti privilegiis a sancta Sede Apostolica ante dictam constitutionem concessis.

Die 17. Augusti 1626. Sacra Congregatio Illustrissimae Cardin. Conc. Trident. Interpretum censuit, Episcopos quam primum diocesanam synodum omnino celebrare teneri, & interim in civitatibus & diocesis, in quibus nulli Judices extant in Concilio provinciali, sicut diocesano designati, licere regularibus, servata in reliquis forma constitutionis felicis record. Gregorii XV. hac de re editae, conservatores nominare habentes qualitates a jure requisitas. Quorum tamen conservatorum facultas eo ipso expirat, cum primum hujusmodi synodus celebrata, in eaque Judices designati extiterint.

Conservatores debent eligi a regularibus in unaquaque dioecesi, in qua monasteria, conventus, seu domos regulares habent; sic enim censuit Sacra Congregatio Concilii in *Rossanensi* 15. Aprilis 1628. & in *Lancia-nensi* 29. Januarii 1633. praecisis verbis, nempe: *Regulares debere eligere Conservatores in singulis dioecibus, in quibus monasteria, conventus, seu domos regulares habent.* Regulares licet ex dicti. consilii Gregorii XV. sub §. 6. fuerint adstricti ad sibi eligendos conservatores infra duos menses in Italia, & extra Italiam infra sex menses a die publicationis in Urbe ipsius constitutionis; tamen ii regulares, qui tempore sibi in dicta constitutione Gregorii XV. praefixo, conservatores eligere non curaverunt, dicto tempore elapso, quando-cumque his liberit, conservatores juxta formam dictae constitutionis eligere possunt, ut declaravit Sacra Congregatio Concilii 18. Septembris 1627. prout ex Sello refert, & tenet Barbosa *supra Concilii. sess. 14. capit. 5. num. 9.* Electionis conservatoris documentum est relinquendum penes acta curiae episcopalis, aliis regulares sunt conveniendi coram Ordinario loci. Sic dicta Gregoriana §. 7. Et ad hoc tenentur ante exercitium suae jurisdictionis sub poena nullitatis actum, ut declaravit Sacra particularis Congregatio deputata ab Innocentio X. 16. Aprilis 1648. in responsione ad tertium decimum propositum dubium conceptum, ut sequitur: *Tertio decimo, an*

conservatores nominati, & electi a regularibus praescriptis ante exercitium suae jurisdictionis teneantur electionis authenticum documentum exhibere coram Ordinario sub poena nullitatis actum? Respondit. 1. ubique teneant, & confirmavit ipse Innocentius X. 14. Maji 1648. constituit. incipit Cum sicut accepimus: Conservatores sunt eligendi ad praescriptum dictae constitutionis Gregorii XV. non obstantibus quibusvis privilegiis, utpote reductis ad terminos ipsius constitutionis; sic expresse dicta specialis Congregatio deputata ab Innocentio X. in responsione ad quintum, & confirmavit ipse Innocentius X. in dicti. consilii. incip. Cum sicut accepimus: Regulares eligentes conservatores non servata forma Greg. XV. incurrunt ipso jure privationem vocis activae & passivae, nec possunt rehabilitari nisi a Summo Pontifice, & eorum conventus & monasteria, eorumque personae caenot conservatore ad annum, & interim illorum causae cognosci, & definiti possunt, & debent solum ab Ordinariis locorum; sic expresse dicta Gregoriana §. 4.

Conservatores regularium possunt eligi vel a superioribus generalibus, vel provincialibus, vel localibus juxta religionum consuetudinem; dicti enim constituit. Gregoriana incipit. Sanctissimus: non speciat personas regulares, quae possint & debeant conservatores eligere, sed dicit indefinite regulares, unde videtur relinquere electionem juxta probatas religionum consuetudines & speciales suas constitutiones. In iis tamen religionibus, quibus juxta suam consuetudinem, constitutiones & privilegia, solent conservatores eligi per superiores locales, debet intervenire etiam consensus capituli, ut tenent Bordon. tom. 2. Concil. regul. resolut. 95. num. 16. Passerin. in cap. Hac constitutione quant. univ. de offic. delegati. in 6. num. 287. Petrus Martyr Urcean. in summar. Ordin. Praedic. part. 4. cap. 4. Nidus de conservatoribus cap. 1. part. 5. num. 2. & alii; & colligitur ex constit. S. Pii V. incip. Ad hoc nos Deus: in qua de conservatoribus in Ordine Praedicatorum eligendis sic dicit: *Per eosdem fratres, seu moniales, ac dicti Ordinis fratrum Praedicatorum superiores, & domorum priores, & eorum singulos pro tempore eligendos in eorum, & dictorum eorumdem privilegiorum, indulgarum, concessionum & gratiarum, & singulorum aliorum praemissorum conservatores & Judices unicos &c.* Quibus verbis modum eligendi conservatores exprimit, ipsosque per superiores locales, una cum fratribus, & respective sororibus capitulariter congregatis eligendos esse demonstrat, ut observant Petrus Martyr Urcean. & Nidus loc. cit. In Ordine autem Minorum de Observantia facultas eligendi conservatores videtur restricta ad provinciales privative quoad Guardianos, seu Superiores locales ex constit. generalib. Ordinis cap. 12. §. 21. disponentibus, ut sequitur: *Provinciales itaque infra spatium sex mensium pro unoquoque loco conservatores nominasse & elegisse teneantur, ac debeant juxta apostolicas constitutiones, id sane statim & decernimus sub poena privationis officii negligentibus subeunda, ex quibus verbis, & praecipue ex illis, pro unoquoque loco, deducitur privative quoad Guardianos, vel Superiores locales. Et ubi adest similis constitutio, & probata consuetudo, quod eligantur per solos provinciales, valida est electio etiam sine consensu capituli, ut tradunt Confessus in cal. privil. tom. 4. Urcean. & Nidus l. c. sub n. 7. & alii.*

Conservatores regularium semel legitime electi, aut deputati, nisi ex legitima causa a Sede Apostolica, aut locorum Ordinariis, prout eisdem regularibus & aliis praedictis liberit approbata, durante quinquennio a die deputacionis, amoveri, aut mutari nullatenus possunt; sic expresse dicta Gregoriana, incipit. Sanctissimus §. 8. Causae autem possunt esse inimicitia suborta, impotentia, negligentia & omnes illae, ob quas recursari potest Judex. Regulares quinquennio elapso possunt alium conservatorem libere sibi eligere, nam pontificae constitutiones amotionem electi intra quinquennium dumtaxat prohibent; at si ad aliam electionem procedere minime curent, aut nolint, electus etiam elapso quinquennio, adhuc in officio perseverat, usquequo alius eligatur; nec est necesse ipsum confirmare, vel reeligere, siquidem da-

datus est vi privilegii perpetui. Nec quod conservatoris officium post quinquennium expiret, nulla lege sancitum fuit; Concilium enim Tridentinum *sess. 24. cap. 5. de reformat.* dum ad conservatoris officium quinquennium prescribit, de regularium conservatoribus non loquitur, ut observat Moneta de *conservatoribus cap. 10. n. 323. Flav. Cherubin. Roderic. & alii cum Nido de conservatoribus cap. 1. part. 9. n. 3.* & ita etiam censuit Sacra Congregatio ejusdem Concilii teste Joan. Franc. Leone in *suo thesaur. for. eccl. part. 3. cap. 29. n. 58.* Immo Conc. Trid. *loc. cit.* expresse excipit conservatorias regularium præcis his verbis: *Universitates autem generales, ac collegia Doctorum, seu Scholarum, & regularia loca, necnon hospitalia, actus hospitalitatem servantia, ac universitates, collegiorum, locorum, & hospitalium hujusmodi persone in presenti canone minime comprehensa, sed exemptæ omnino sint, & esse intelligantur.* Conservatoris rite electi officium & jurisdictionem non expirat ex eo quod postea desinat esse Judex synodalis, sic decrevisse Sacra Congr. Episc. & Regul. refert Nicolius *lucubr. canon. part. 2. tit. 29. sub num. 11. verb. Censuit.*

Ad rem hic adducitur novissima constitutio Clementis XIII. merito consulenda & observanda.

Clemens Episcopus &c. ad perpetuum &c. Cum omnium quidem ecclesiarum, tum earum præsertim, quæ in remotissimis regionibus sunt constitutæ, decet apostolicam Sedem curam gerere. Fideles enim illic de gentes, vel ecclesie corpori recens inserti, vel undique paganorum ritibus & superstitionibus circumdati, nisi novarum plantarum instar foveantur, irrigentur, diligenterque custodiantur, periculum est, ne paulatim prærescant, in eisque fructum, quem optat, celestis Patrisfamilias non adveniunt. Hinc Romani Pontifices prædecessores nostri, quorum exemplum nos quoque secuti sumus, in easdem religiones seculares, & regulares Clericos bene multos, qui in agro Domini operarentur, mittendos curarunt. Sed infensissimus humani generis inimicus, qui inter frumentum zizania super seminare solet, discordiarum semina inter eorum aliquos aspergere adeo consuevit, ut non raro sui muneris oblitus, & apostolicæ legationis immemores, pro eo quod gentibus ac populis sedentibus in tenebris & regione umbræ mortis fidei lucem ingerere, & ad veritatis agnitionem perducere curent, ipsi inter se levissimis de rebus maximas contentiones ineant, quod interdum eo usque protenditur, ut eodem temporis, ac loci vestigio, quo evangelium salutis afferunt, & pacem christianam annunciant, quam Christus discipulis suis velut unicam hereditatem testamento reliquit, eas ipsi turbas excitent, ut qui eis adherent, pro partium studio etiam ad arma concurrant, ac manus inter se non sine bonorum quomodo genitum conferant. Id vero eo acerbis ferimus, quod eorum dissidia catholice fidei propagationi summo esse impedimento propemodum videamus, atque in messe multa veros operarios adhuc paucos doleamus.

Dissidiorum causa ejusmodi est, quod dum in regularibus nonnulli in vindicandis privilegiis toti occupantur, interim opus ministerii sui, in consummationem Sanctorum, & in edificationem corporis Christi negligentes, interdum quod ore docent, ac verbis adstruunt, factis negare, ac manu destrucere videantur.

Nuper siquidem, non sine intimo cordis nostri dolore accepimus, in regno Tunkin in Indis Orientalibus regulares nonnullos, qui eodem ad Christi religionem propagandam missi sunt, sub obtentu conservandorum privilegiorum, quæ regularibus eisdem ab apostolica Sede concessa fuerunt, conservatores Judices, ut vocant, præter ordinem, & contra apostolicarum constitutionum spiritum ac mentem, tales sibi delegisse, quos nec ipsa instituti sui ratio pateretur, quique eo temeritatis pervenerunt, ut in apostolicos nostros Vicarios ibidem de gentes, quorum auctoritatem, ut religiosos viros decet, revereri debuissent, maximo cum christiani nominis apud Ethnicos ipsos dedecore, gravique cum perturbatione illarum ecclesiarum, excommunicationis & suspensionis & Interdicti sententiam ferre non dubitaverint.

De quibus omnibus cum à Vicario apostolico ad nos

delata essent querela, regulam non habuit caro nostra, sed videntes tumultum in domo Dei, in qua nec contentiones quidem Apostolus patitur, pro Summi Pastoratus officio duximus tanto malo validioribus remediis quantocius occurrendum. Ut vero cautius in re tanti momenti procederemus, Congregationem particularem nonnullorum S. R. E. Cardinalium, qui negotiis propagandæ fidei præpositi sunt, ad rem totam examinendam institimus. Qui tandem examen diligentem aggressi, primo dubium illud, an potuerit eligi in conservatorem superior regularis temporarius, pro rei gravitate minime censere statim, ac protinus definiendum, sed reservato examine ac decisione ejusmodi dubii, inter cetera pro re nata declararunt, in hærendo constitutionibus apostolicis & decretis aliis editis.

1. Quod denegata regularibus, vel dilata facultas excipiendi confessiones, sufficientis causa non fuerit eligendi sibi conservatorem.

2. Quod proinde qui illum ea de causa elegerint conservatorem, in excommunicationem incidant informam *cap. fin. de offic. & potest. judic. deleg. in 6.* speciatim confirmati in *const. Gregorii XV. que incip. Sanctissimus.*

3. Quod electus hujusmodi conservator sub pena suspensionis à divinis, ipso facto incurrenda, à conservatoris nomine & officio omnino abstinere se habeat, nullis, ac nullius valoris declaratis omnibus his usque ab eo actis, & deinceps forsam agendis.

4. Demum quod graviter moleantur regulares omnes, ut imposterum remotis partium studiis, & proprii Ordinis commodis, ad animarum salutem unice invigilent, ut tandem Sedes apostolica toti Episcoporum querelis fatigata, privilegia olim regularibus concessa pro incrementum missionum, quæque nunc ad earumdem perniciem tendere cernuntur, revocare cogatur. Atque ad hunc effectum, ne quis esse possit ignorantie locus, hujusmodi decretorum exemplar superioribus generalibus respective intimitur, ut eorumdem observantiam & executionem sollicitè curent.

Quæ quidem omnia cum essent à nobis auctoritate apostolica confirmata, hoc tamen tempore intervallo in regionibus adeo dissitis discordiarum & scandalorum incendium nec restinguere, nec temperari potuit, immo multo etiam magis adum, ac dilatatum est, adeo ut graves querimonie ad nos usque pervenerint, negata etiam fuisse in summo vitæ discrimine sacramenta nonnullis eorum, qui Judicis conservatoris judicio & censuris non obtemperant. Quibus ex causis haud diutius differendam dubii hæc usque suspensi decisionem præta dicta Congregatio, deductis hinc inde juribus, & re mature pensata, ac præ oculis habitis constitutionibus apostolicis, tum & fere communi juris canonici peritorem consensu, ac præsertim resolutione Congreg. Episcoporum ac Regularium negotiis præpositæ, quæ ab Episcopo Turritano consulta: *An regulares unius conventus, monasterii, vel domus aliquem Priorem, Guardianum, vel quovis alium quavis regular. dignitate fulgentem in suum conservatorem eligere, vel deputare possint, die 8. Octobris anni 1617. rescipit: Non posse: his, aliisque similibus decretis inhærens, die 8. Martii currentis anni, tandem in hunc modum propositum dubium resolvit: Consulendum Sanctissimo, ut dignetur declarare superiores regulares temporarios nulli, & in nullo casu posse eligi in conservatores, in partibus autem infidelium expedire, ut conservatores omnino non eligantur.*

Hoc nobis relatum, exhibitumque decretum jam satis agnovimus quoad utramque partem apostolicis constitutionibus consentaneum & congruum. Jam dudum enim prædecessores nostri Bonifac. VIII. in *constitutione, que incip. Statutum: Gregor. XV. in constitutione, que incip. Sanctissimus in Christo Pater: & Innocentius X. in literis in forma Brevis, que incip. Alias à nobis: animadvertentes regulares, aliosque, quibus ab apostolica Sede generale, sive speciale privilegium concessum est, ut possint sibi Judices conservatores eligere, sub ejusmodi privilegii prætextu Epis-*

CO-

coporum, aliorumque Judicum ordinariam sive delegatam jurisdictionem perturbare, & electos Judices conservatores suæ potestatis limites frequenter excedere optimo sane consilio, dum privilegia ipsa sarta tecta esse voluerunt, certum tamen modum Judicum conservatorum electioni, certosque fines eorumdem potestati impositurus; ponis etiam adversus transgressores constituit.

Horum igitur Summorum Pontificum Prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, de consilio Congregationis particularis supra memoratæ nonnullorum S. R. E. Cardinalium qui negotiis Propagandæ Fidei præpositi sunt, videlicet V. F. Nostri Josephi S. R. E. Cardinalis Spinelli Episcopi Ostiensis, & sacri collegii Decani, ac dilecti filii nostrorum S. R. E. Cardinalium Stoppani, Galli, Antonelli, & Columnæ de Sciara; motu proprio, ex certa scientia, & matura nostra deliberatione, Nos in primis constitutiones eadem Bonifacii VIII. & Gregorii XV. nec non apostolicas literas in forma Brevis Innoc. X. quarum tenorem hic pro inserto haberi volumus, cum singulis declarationibus in iisdem contentis innovamus, & confirmamus; ac easdem constitutiones, & apostolicas literas plenum robur, & firmitatem habere volumus, & mandamus.

Præterea, quoniam in iisdem constitutionibus cautum est, ut dumtaxat in Judices conservatores eligi possint, qui dignitate aut personatum in cathedrali, vel collegiata ecclesia obtinent, nos eisdem constitutionibus inhærentes statuiimus & declaramus: non licere quibuscumque in locis Regularibus cujuscumque Ordinis, monasterii, vel congregationis, Mendicantibus, vel non Mendicantibus, etiam Societatibus Jesu, aliisque quantumvis expresse, & speciatim nominare eos oporteat, ceterisque, quibus ab Apostolica Sede concessum est, ut Judices conservatores sibi eligere possint, vigore cujuscumque privilegii, cui, quatenus opus sit, expresse derogamus, Præpositos, Rectores, Provinciales, Definidores, Custodes, Priores, Præfectos, Vicarios, Visitatores, aliosque quoscumque Superiores Regulares non perpetuos, sed temporarios proprii, vel alterius Ordinis, in Judices conservatores eligere, quos hæc in parte, & ad hunc effectum in dignitate ecclesiastica constitutos non esse, eorumdemque electionem, etiam si fiat servata in reliquis forma constitutionum Greg. XV. ipso jure irritam prorsus fore declaramus.

Tandem inhærentes aliis decretis in Congregatione Generali de propaganda fide coram S. M. Urbano VIII. habita die 3. Februarii anni 1640. & prospectis etiam periculis, & scandalis, quæ ex electione Judicum conservatorum in partibus infidelium, plerumque in animarum perniciem, & publica tranquillitatis, atque ecclesiasticæ pacis perturbationem emergunt, juxta decretum præfatæ Congregationis auctoritate apostolica denunciamus, Regulares Mendicantes, & non Mendicantes, Monachos, & Clericos Regulares cujuscumque Congregationis & Ordinis, etiam Societatis Jesu, aliosque quantumvis expresse & speciatim nominare eos oporteat, privilegio sibi concessio eligendi Judices conservatores, quousque in partibus infidelium degunt, ac sacras missiones exercent, nullo modo expedire ut utantur; sed omnes & singulos in offensionibus, & causis, quæ ipsorum ordines ac privilegia tangunt, ut ad Nos, & ad Apostolicam Sedem recurrant, ut ab hac ecclesia ecclesiarium omnium matre, & magistra, cui nihil antiquius est, quam cuicunque sua jura servare, rectum judicium, ac remedium præstolentur.

Decernentes præsentibus nostras literas, & in eis contenta quæcumque, licet Superiores quorumcumque ordinum etiam Generales, vel Priores itidem Generales seu missionum, aut missionarii ipsi, vel ab eis deputati, aut alii quicumque in præmissis ac circa præmissa interesse habentes, vel habere prætentantes ad hæc invocati, citati, vel auditi, sive causæ, propter quas eadem præsentibus emanant, sufficienter adductæ, justificatæ, & verificatæ non fuerint, semper, & perpetuò validas, & efficaces existere, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus in-

violabiliter observari: sicque, & non aliis per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos, quavisque auctoritate fulgentes, ac etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, dictæque Sedis Nuntios, ac Vicarios Apostolicos, seu Visitatores quibusvis facultatibus munitis, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus Sixti V. favore Ordinum Mendicantium, & Pii V. ac Greg. XIII. *incip.* In supereminenti: favore Clericorum Regularium Societatis Jesu extra Europam existentium ac quibusvis aliis constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, nec non ordinum, & institutorum quorumcumque etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indulgiis, & literis apostolicis etiam Mare Magnum, vel aliis quomodolibet nuncupatis eisdem ordinibus & institutis, eorumque Superioribus, & Prælati, ac Personis etiam missionariis in limine quoque, & actu primarum illorum expeditionis, ac subinde, & successive, etiam per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Sedem Apostolicam prædictam, & per Nos pariter quomodolibet concessis, confirmatis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis: quibus, & aliis omnibus, quæ præsentibus quomodolibet obstat possent, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus, specificis, & expressis, ac individua, nec non de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorumque tenores pro plene, & sufficienter præsentibus expressis, & totaliter insertis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, hæc vice dumtaxat, specialiter, & expresse, amplissime, & plenissime, nec non opportune, & valide derogamus, & derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Ut autem præsentibus nostræ literæ ad omnium notitiam deducantur, neque aliquis earum ignorantiam prætere, ac contra eas se excusare valeat; volumus, & mandamus earum exemplar Superioribus Generalibus Ordinum, Congregationum, & Institutum prædictorum, seu illorum Procuratoribus Generalibus in Urbe existentibus, & quibus missionarii quicumque extiterint, à dicta Congregatione de propaganda fide tradi debere. Quodque post traditionem hujusmodi omnes, & illos, quos concernunt, & concernent in futurum, perinde ardeant, & afficiant, ac si eorum cuilibet personaliter intimatæ fuissent.

Volumus etiam, quod &c.

Nulli ergo omnino &c.  
Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo sexagesimo secundo, nono Kalendas Maji, Pontificatus nostri anno quarto.

Quod ait Auctor num. 7. eligi in conservatores posse Episcopos, Archiepiscopos, &c. id hodie pacificum haud est, si existant ea in diocesi Judices synodales, idque quia Gregorius XV. constitutione sua *incipit. Sanctissimus: demandavit ut non nisi Judices synodales in conservatores eligi queant; vide S. M. Bened. XIV. de Synod. diocess. lib. 4. cap. 6. num. 4.* Deficientibus vero Judicibus synodalibus non videtur dubitandum, quin eligi in conservatores possint Episcopi, Archiepiscopi &c. dummodo eligatur Episcopus in sua diocesi; Idem Summus Pontifex ubi supra.

(Quidquid sit determinatum per leges infra in add. hisp. præventus: cum videatur neminem ignorare bullam D. Clementis XIV. *vid. in add. hisp. verb. Appellatio*) suadet, attenta dispositione D. Gregorii XV. nisi iudices synodales in hispania eligi non debere.)

ARTICULUS II.

Quoad ea, quae concernunt conservatorum officium, & jurisdictionem.

SUMMARIUM.

- 1 Officium conservatorum in quo consistat: an in omnibus sive Actores, sive Rei fuerint, possint eos defendere: quid sit injuria, & violentia: de quibus cognoscere possunt, ad n. 8.
- 9 Quas penas incurrant si extra assignatas cognoverint: quae indago adhibenda: & in quibus: modi assignantur per quos defendere queunt sibi ad dictos, ad n. 14.
- 15 Per censuras, aliaque juris remedia, utrum contra Episcopos & alios suum exercitium impediunt, ad n. 17.
- 18 In dubiis de jurisdictione inter Episcopos, & conservatores, arbitri sunt eligendi: non est procedendum contra illos per censuras: data discordia in arbitratorum electione, tertius eligendus: quid in recusatone conservatoris: quibus Notariis utantur: & an committere valeant, ad n. 23.
- 24 Quae qualitates in subdelegatis: quando causa poterint advocari: eorum officium quando expirat, ad num. 29.
- 30 Notarius, & Regulares debitores ubi debent conveniri: inter alios an possint conservatores cognoscere: observatio decretorum S. Concilii Tridentini ab Episcopo praecipienda: cui subiciantur conservatores, ad n. 40.
- 41 Novae addit. inseruntur.
- 42 Aliquid de constitutione Unigenitus proponitur, ad num. 45.

1 CONSERVATORUM officium est defendere eos, quibus sunt concessi, a manifestis injuriis, molestiis, & violentiis, & in propria rerum, & jurium possessione conservare, cap. Statuimus 1. de officio delegati in 6. & cap. Hac constitutio 15. eod. in 6. Unde conservatores potissimum dantur Regularibus ad tuendum eorum personas, bona, & jura, sub quibus totumdem continentur privilegia, exemptiones, & immunitates, ut notat Glossa final. in dicto cap. Statuimus. Pignatelli. tom. 10. cons. 69. num. 8. & alii passim. Hinc conservatores defendere possunt, & debent Regulares nedum in causis, in quibus ipsi Regulares rei existunt, ut videbatur innuere dicta. constituti. Gregoriana incip. Sanctissimus sub §. 9. sed etiam in causis, in quibus Regulares actores existerint, si isti agendo petant, ut defendantur a manifestis injuriis, quae de facto illis inferuntur, dum a suis possessionibus deiciuntur, & propriis bonis frui, aut uti impediuntur, ut declaravit Sac. Congr. Conc. ad quam post dictam Gregorianam fuit habitus recursus, & propositum fuit ei sequens dubium: "An per allegata verba (id est dicti Gregorianae sub §. 8.) sublata sit facultas, quam habent conservatores defendendi Regulares, & alios, a manifestis injuriis, & violentiis, quae illis de facto inferuntur, dum a suis possessionibus deiciuntur, & propriis bonis frui, aut uti impediuntur." Ad quod Sac. Congr. respondit ut sequitur: "Sac. Congr. Cardinal. Concilii Tridentini. Interpretum censuit, ejusmodi verbis minime sublata fuisse facultatem, quam habent conservatores defendendi Regulares a manifestis injuriis, ac violentiis, dummodo observent formam praescriptam a constituto. Innocent. IV. & Bonifac. VIII. relatis in cap. 1. & fin. de officio delegati. in 6. Cosmus Cardinalis de Torres. Loco Sigilli, Prosper Fagnanus Sac. Congr. Secretarius. Romae in Typographia Regia Camerae Apostolicae 1624."

3 Conservatores Regularium non nisi de manifestis injuriis, atque violentiis cognoscere possunt; cap. Statuimus 1. de officio delegati in 6. cap. Hac constituti. 11. eod. in 6. Injuria autem generaliter dicitur omne id, quod non jure fit, inst. de injuriis. & Canonistae communiter in cap. Statuimus; quamobrem omne illud di-

citur injuria, quo jus alterius offenditur, nec fieri potest nisi injuste. Violentia vero est cum quis vim alteri infert; violentia enim superaddit injuria vim, sive impetum, ut notant communiter Doctores in cap. Si quis suadente 17. part. 4. Et tunc injuria, & violentia dicitur manifesta, quando ita notoria, & patens est, ut nulla probabiliter tergiversatione celari possit. Conservatores Regularium non possunt cognoscere de iis, quae judicalem indaginem requirunt, textu expresso in dicto cap. Statuimus 1. de officio delegati in 6. ibi: Nec ad alia, quae judicalem indaginem exigunt, suam possunt extendere potestatem. Indago autem judicialis est inquisitio, seu examinatio, quae juris ordine servato, habetur in casibus dubiis ad veritatem inveniendam, nec non justum, rectumque proferturum iudicium. Glossa in dicto cap. Statuimus, verb. Indaginem: & ibid. Canonistae communitur, quoniam indagare, ex quo indaginis nomen deducitur, est diligenter inquirere, ac scrutinari, ut recte notat Moneta de conservatoribus cap. 7. num. 76. & alii passim. Unde conservatores si de aliis, quam de manifestis injuriis, & violentiis cognoscere praesumpserint, seu ad alia, quae judicalem indaginem exigunt, suam extendant potestatem, eo ipso poenam suspensionis ab officio per annum incurrant, & pars, quae hoc fieri procuraverit, incurrit sententiam excommunicationis, textu expresso in dicto cap. Hac constituti. 15. de officio delegati in 6. ibi: "Decernimus, ut si de aliis, quam de manifestis injuriis, & violentiis scienter se intromiserint, seu ad alia, quae judicalem indaginem exigunt, suam extenderit potestatem; eo ipso per unum annum ab officio sunt suspendendi; pars vero, quae hoc fieri procuraverit, sententiam excommunicationis incurrat, a qua non possit absolvi, nisi ei, quem sic fatigavit indebite, primo satisfacta integraliter de expensis;" Et sic etiam expresse habetur in dicto consilii. Gregoriana incip. Sanctissimus §. 11.

10 Possunt tamen Regularium conservatores in cognitione violentiarum, & injuriarum manifestarum adhibere indaginem illam judicalem, quae in notoriis adhiberi solet. Sic Canonistae communiter in dicto cap. Statuimus 1. de officio delegati in 6. Causae enim in notoriis, manifestisque injuriis, ac violentiis absque indagine aliqua saepe expediiri nequeunt; quando autem iudicatio aliqua committitur, omnia illa, sine quibus explicari nequit, demandata censetur; l. 2. ff. de iurisd. omni. judic. cap. Praeterea §. 5. cap. Suspicioni 39. de officio & potest. jud. delegati. (Vid. verb. Delegare, per tot. lit. 24. pag. 97. num. 13.) Quomodo enim iudex conservator delinquentes in notoriis, manifestisque injuriis, punire possit, nisi eos citare, citatos, ac contumaces in expensis condemnare possit? In casu igitur, quo injuria notoria negetur, & ex negatione res sub dubio remaneat, nec clare de notorietate appareat, tunc poterit conservator ante omnia summarie examinare, an violentia, seu injuria, de qua agitur, notoria fuerit, & probationes recipere ad videndum, an suae sit jurisdictionis, & si jam notoriam reperit, procedat; alias desistat, quia non habet jurisdictionem defendendi injurias, & violentias simpliciter, sed solum qualificatas notorietate. Glossa & Canonistae communiter in dicto cap. Statuimus. Moneta de conservatoribus cap. 7. ad num. 82. Barbosa de officio & potest. Episcopi part. 3. alleg. 106. num. 20. aliique passim. Quando reus fatetur injuriam, seu violentiam, & qualitatem ipsius fuisse notoriam, tunc conservator potest statim procedere, absque ulla examinatione de notorietate, quia sive in rei veritate injuria fuerit notoria, sive non, semper processus validus erit, nam sufficit partis confessio, ut per illam injuria dicatur notoria, & de notorietate appareat, licet aliter illa non probetur; juxta reg. text. in cap. Vestra 6. ubi Glossa verb. Non diffidetur; & cap. Quaesitum 10. de cohabitatio. Cler. & cap. Cum olim 24. de verbor. signific. cum multis, de quibus Mascard. de probat. consil. 1107. n. 2. Farinac. in praxi criminali. tom. 1. q. 21. n. 31. Barbosa loc. cit. n. 21. Moneta loc. cit. n. 150. Passerini & alii passim.

12 Conservatores Regulares suae curae commissos defendere possunt nedum ab injuriis, & violentiis illatis, sed etiam

etiam a probabiliter inferendis. Glossa in dicto cap. Statuimus verb. Defendere: & ibi Monachus num. 5. Franch. n. 7. Domin. n. 13. Joann. Andr. & alii Canonistae; Silvester verb. Conservator. n. 3. Lezana n. 23. Azorius tom. 2. lib. 5. cap. 31. quest. 9. Miranda tom. 2. manual. quest. 47. art. 7. conclus. 4. Barbosa loc. cit. n. 34. Molina tom. 6. quest. 29. n. 2. & alii passim. Immo conservatores Regularium possunt ipsos defendere a violentiis, seu injuriis inferendis non solum aliis modis, sed etiam proferturum generalem excommunicationis sententiam in eos, qui illas fecerint, vel commiserint, dicendo 2. gr. excommunico omnes, qui talem conventum, vel domum Regularem violentem cum armis intraverint, vel aliquod notabile damnum, & notoriam injuriam, seu violentiam ipsis Regularibus locis, & personis attulerint; Glossa in dicto cap. Statuimus, verb. Defendere: & ibi Franch. n. 6. & omnes supra citati, & colligitur ex reg. text. in cap. Ad nobis 21. de sent. excomm. ibi: Quisquis furtum fecerit: & cap. Dilectio 6. eod. tit. in 6. cum traditis a Covarrub. cap. Alma Mater. quest. 1. §. 10. n. 1. Gutierrez. Canon. lib. 1. cap. 6. n. 29. Suar. tom. 5. de censur. disp. 3. sect. 4. d. n. 4. Nid. de conservator. cap. 3. part. 1. num. 27. & seq. Barb. loc. cit. num. 34. & alii, qui solide probant posse Judices ecclesiasticos, ubi aliquod grave crimen probabilibus conjecturis committi timetur, ad illud impediendum caute generalem pronuntiare excommunicationem in eos, qui illud commiserint. Nec obstat prohibitio expressa in cap. Romana §. de sentent. excomm. in 6. §. Caveant: ratione cujus videtur talem generalem excommunicationem hodie ferri non posse; non obstat, inquam, quia prohibitio, seu potius admonitio illius textus locum non habet, ubi iusta intervenit causa, sicuti aperte, & expresse declarat idem textus in vers. Nisi & c. ibi, aut alia rationalis causa subit; quae justa causa revera manifeste intervenit, ubi violentia inferenda timetur, cui conservator intendit occurrere, ut bene agnoscit Monachus in dicto cap. Statuimus num. 5. Gutierrez. Canon. lib. 1. cap. 4. num. 20. Suarez dicti. sec. 4. ad num. 4. Sayr. de censuris lib. 1. cap. 9. ad num. 24. Barbos. loc. cit. n. 33.

15 Conservatores Regularium possunt per censuras ecclesiasticas, aliaque juris remedia procedere contra Episcopos aliosque Judices ipsorum officium impediunt. Moneta de conservatoribus cap. 8. num. 245. Barbosa l. cit. num. 36. Nidus de conservat. cap. 8. part. 4. Passerini, & alii. Et deducitur clare ex cap. Quia Pontificali 2. de officio delegati in 6. ibi: "Ut cum a Judicibus, vel conservatoribus a Sede Apostolica deputatis contra eos ad coactiones aliquas, sive penas fuerit procedendum, gradus, & modestia in hujusmodi processu serventur;" quibus verbis manifeste supponitur, conservatores agere, & procedere posse contra etiam Episcopos; & ex Clementina unica de excessibus Praelatorum, ubi inter alios excessus, etiam iste enumeratur, ibi: "Processus juste factos, seu sententias juste latas a Delegatis, & Sedis Apostolicae, vel a conservatoribus pro exemptis, & publicari, seu executioni mandari, a suis subditis non permittuntur;" ubi gloss. expresse dicit: Per hoc possumus a delegatis vel conservatoribus puniri, cum illorum jurisdictionem impediunt; de officio delegati cap. 1. Licet autem conservatores Regularium ex adductis iuribus facultatem habeant procedendi per censuras ecclesiasticas etiam contra Episcopos, & nonnulli Regulares specialibus super hoc Sedis Apostolicae privilegiis sint muniti, ut Religiosi Societatis Jesu ex constit. Gregorii XIII. Regum reputamus §. 3. tamen quia in his coactionibus, & penis pontificali dignitati plurimum deferendum est; cap. Sane 11. cap. Pastoralis 37. de officio & potest. judic. delegati; cap. Quia Pontificali 2. eod. in 6. & cap. Quia periculosum 4. de sententia excommunicationis in 6. aequum est, ut conservatores non de facili, & praecipitanter contra Episcopos sententiam excommunicationis proferturum; sed si contingat conservatores procedere contra ipsos, ac contra eos ferre censuras; debent modestiam, & reverentiam debitam adhibere, & servare ordinem praescriptum in d. c. Quia Pontificali, quod scilicet: Primo; a conservatoribus interdicitur Episcopis In-

gressus in ecclesiam, vel sacerdotale officium. Secundo, ut suspendantur ab officio. Tertio, ne contra eos ecclesiastica censura aggravetur, nisi forte aliud fieri suaserit nimis contumacia protervitas, ut patet ex praecis verbis d. cap. Quia Pontificali, ibi: "Quia pontificali dignitate praeditis ob reverentiam sacri officii, quod exercetur, plurimum deferre convenit, & eos plus alii honorari decet; ut cum a Judicibus, vel conservatoribus a Sede Apostolica contra eos ad coactiones aliquas, seu penas fuerit procedendum, gradus, & modestia in hujusmodi processu serventur; ita quod (eis condigna quadam reverentia supportatis) ingressus primo ipsis ecclesiae, vel sacerdotale interdicitur ministerium, ac deinde ab officio suspendantur; subsequenter aggravetur censura ecclesiastica contra eos;" quae ultima verba exponens glossa inquit, quia scilicet, injurias, & contumeliosas verba Episcopus in Judicem proferturum. Hinc jurat addicere resolutionem Sac. Congr. Concilii in Januen. 30. Februarii 1723. in qua propositis tribus sequentibus dubiis:

- 1. "An conservator V. C. PP. Societatis Jesu civitatis Januae, tam in casibus, quam extra casus manifestae violentiae, vel injuriae possit procedere, sive PP. Societatis sint Actores, sive Rei?"
- 2. "An pendente aliqua lite coram Ordinario Metropolitanano semel introducta cum PP. Societatis Jesu post eorum consensum in jurisdictionem, liceat eidem convolare ad Judicem conservatorem?"
- 3. "An in supradicta causa litis jam introductae, ut supra, inhibito conservatoris, si quae fiat Ordinarii, & parti, illiusque successiva decr. annullativa Actorum ab Ordinario post dicti inhibitionem factorum, sit attendenda?"
- "Ad 1. responsum fuit, Affirmative, in casibus tantum manifesta violentiae, & injuriae, & quando PP. sunt Rei.
- "Ad 2. vero & 3. Negative."

In dubiis de jurisdictione inter Episcopos & conservatores suspendendus est processus, & non potest ultra procedi in causa, sed eligendi sunt arbitri, qui controversiam decident, text. expresso in Concilio Tridentini. sess. 14. cap. 5. de reform. & expresse etiam in d. Gregoriana incip. Sanctissimus §. 10. ibi: "Si qua vero inter Judices conservatores hujusmodi, & locorum Ordinarios controversia super competentia jurisdictionis orta fuerit, nequaquam in causa procedatur, donec per arbitros in forma juris electos super jurisdictionis competentia fuerit judicatum." Et sic Barbosa de officio & potest. Episcopi part. 3. alleg. 106. num. 27. & alii communiter. Quando controversia est super competentia jurisdictionis, & sub hoc praetextu Episcopus conservatorem impedit, non potest conservator procedere contra Episcopum per censuras, quia ex Trident. & d. Gregoriana mox citata non potest tunc ultra procedi in causa, donec per arbitros in forma juris electos sit controversia decisa; Pasqual ad Laur. de Franch. num. 833. Borbastren. in Pastor. p. p. claus. 10. Nidus de conservator. cap. 8. part. 6. num. 2. cum Passerino num. 130. & alii communiter. In necessitate autem, quando partes non conveniunt in arbitratorum electione, vel alias nequit per arbitros concorditer controversia competentiae jurisdictionis terminari; eligendus est tertius arbiter, cum quo in certum breve tempus super jurisdictione controversiam terminare procurent; cap. Suspicioni 39. de officio & potest. judic. delegati. cap. Cum speciali 41. de appellat. & cap. Legitima 2. de appellat. in 6. Et sic Cevall. tit. 4. quest. 897. num. 777. Passerini. num. 244. Nidus loc. cit. num. 6. & alii passim. Sic etiam si conservator Regularium recusetur ut suspectus, prout recusari posse, etiam in notoriis, probat textus in cap. Quod suspecti 15. caus. 3. quest. 5. ibi: Et si manifesta sibi officiant crimina; ubi glossa inquit, arg. Quod in notorio crimine, etiam Judex recusat: & cap. Judex 5. de officio delegati in 5. & tradit Barbosa loc. cit. num. 31. cum pluribus aliis; tunc ipse conservator recusatus poterit partes compellere ad eligendos arbitros, coram quibus causa re-

cusationis probetur, & decidatur, assignabique eisdem arbitris terminum competentem, intra quem causam recusationis determinent, compelletque ipsos arbitros, ut advocent sibi tertium, si ipsi discordes fuerint, ut probatur in d. cap. Suspicionis, cap. Cum speciali, & cap. Legitima sub num. 20. cit.

22 Conservatores Regularium non tenentur uti Notario curie episcopalis, sed possunt assumere quemcumque Notarium sibi benevisum. Nidus loc. cit. cap. 10. partic. 1. n. 10. cum Passerin. n. 52. & Cesped. dub. 318. n. 12. ex Peyrino, quod est commune omnibus Delegatis, & sic etiam Card. de Luc. de jurisd. disc. 4. n. 14. ubi post n. 2. refert decretum Sac. Congr. Concilii emanatum in una

23 Faventina 17. Decemb. 1667. Conservatores Regularium possunt vices suas aliis committere, & in totum alium subdelegare, & substituere. Moneta de conservatoribus, cap. 7. n. 8. Nidus l. cit. 2. partic. 4. n. 2. & sequent. & cap. 11. partic. 1. n. 1. Miranda tit. 2. quest. 47. art. 3. Tamburin. tom. 3. disp. 17. quest. 1. n. 6. Lezana part. 2. cap. 10. n. 26. Confect. in summar. privileg. mendicant. tit. 4. cap. 7. Candid. Brugnot. tom. 4. cap. 19. n. 13. Rodericus quest. 65. art. 15. Sorbus in compend. verb. Conservator. Fagnan. in cap. Si Clericus de for. competent. n. 42. Bordon. resolut. 95. n. 9. Passerin. n. 78. Peyrin. n. 5. & alii contra Donatum, Antonell. & alios. Et hæc nostra conclusio habetur ex d. constitutione Gregorii XV. incip. Sanctissimus §. 2. ubi expresse dicitur, conservatores hujusmodi sive principales, sive subrogati &c. & §. 11. ubi innovat constitutionem Bonifacii VIII. incip. Hac constitutione, ibi: "Juxta formam alterius constitutionis ejusdem Bonifacii prædecessoris, quæ incipit, hæc constitutio, quam Sanctitas sua in omnibus, quæ præsentibus constitutioni non adversantur, innovavit, & innovat;" in dicta autem constitutione Bonifacii VIII. cap. Hac constitutione 15. de offic. delegat. in 6. habetur, quod conservatores subdelegare possint, si hoc sit eis ex beneficio literarum apostolicarum concessum, ut patet ex verbis ipsis, quæ adducuntur, ibi: "Vices quoque suas (citationibus, sententiarum denuntiationibus dumtaxat exceptis, quas per alios valeant exercere) nulli alio committere possint, nisi hoc eis competierit ex beneplacito literarum;" ubi notat hæc ultima verba: Atqui Regularium conservatores privilegium istud subdelegandi habent à variis Summis Pontificibus, & signanter à S. Pio V. constitutione incip. Ad hoc nos Deus: ibi: "Discretionem vestram præsentibus mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum per vos, vel alium etiam sint extra loca in quibus estis deputati conservatores & iudices;" & à Gregorio XV. d. constit. incip. Sanctissimus: per illa jam adducta verba: Conservatores hujusmodi, sive principales, sive subrogati; ergo stat clarum posse conservatores Regularium etiam in totum subdelegare vel alium substituere; non enim in d. constitutione Bonifacii VIII. relata in cap. Hac constitutione 15. de offic. delegati in 6. cui tam fidem adversarii, prohibetur absolute omnibus conservatoribus subdelegatio, sed illis dumtaxat qui subdelegandi privilegium non habent ex literis apostolicis, inter quos non comprehenduntur Regularium conservatores, qui tale privilegium habent ex variis pontificis concessionibus, ut supra fuit ostensum.

25 Subconservatores, seu subdelegati, & substituti à conservatoribus debent habere omnes qualitates ad conservatores requisitas; cap. Hac constitutione 15. de offic.

Conservatoribus non competere causarum cognitionem, extra casus in quibus agitur de injuriis publicis, notiorisque molestiis, quæ ecclesiis, monasteriis, personisve ecclesiasticis inferuntur, nullus debuit; ita ut, si casus majoris considerationis, & gravitatis non fuerit, quando electio similium Judicum est efficienda, permitti non debet ut eligantur; præsertim indicis in ditionibus

(1) L. i. tit. 8. lib. 1. Los conservadores dados, y diputados por nuestro muy Santo Padre: no sean osados de perturbar la nuestra jurisdiccion seglar, ni se entrometan á conocer, y proceder, salvo de injurias, y ofensas manifestas, y notorias, que suelen ser hechas á las Iglesias, ó Monasterios, y personas eclesiásticas,

delegat. in 6. ibi: "Sed tunc, nisi intra civitates, seu dioceses, in quibus fuerint deputati, & personis tantum, quæ superius sunt expressæ." Et idem statuitur in d. Gregoriana incip. Sanctissimus, §. 2. ibi: "Statuit &c. decrevit, ut Judices conservatores hujusmodi, sive principales, sive subrogati, eligi, nominari, aut deputari non possint, nisi non solum habeant qualitates requisitas &c." Et sic tenet Ferosin. in cap. Si Clericus, de foro comp. quest. 12. num. 460. ibid. num. 42. Moneta de conservatorib. cap. 7. num. 65. Tambur. tom. 3. disp. 17. quest. 1. num. 6. Nidus loc. cit. cap. 11. partic. 1. num. 2. Lezana num. 26. Peyrin. ad d. constitut. Gregorii XV. num. 5. Passerin. num. 79. Candid. Brugnot. loc. cit. & alii. Et ratio est, quia subdelegatus debet esse ejusdem qualitatis, ac conditionis, cujus est delegatus, ac talis, qui possit delegari; cap. Siaturum 11. §. in nullo, de rescript. in 6. Glossa in cap. Hac constitutione 15. de offic. delegati in 6. §. Vices quoque. Unde conservatores non possunt vices suas committere in casibus, in quibus subdelegare possunt, nisi personis illis, quæ in conservatores eligi possent & de quibus abunde fuit dictum art. 1. à num. 6. usque ad num. 16. Conservatores, qui aliis vices suas subdelegantur, possunt ab ipsis subdelegatis causam ad se avocare, dummodo tamen jurisdictione revocetur à subdelegatis, antequam ipsi subdelegati jurisdictione eadem uti cœperint; cap. Quamvis 6. de offic. delegati in 6. Et dicitur per solam citationem. Glossa in dict. cap. Quamvis 6. de offic. delegat. in 6. Nidus loc. cit. cap. 11. partic. 1. num. 6. Moneta loc. cit. cap. 10. num. 56. & alii. Officium subdelegati, seu subconservatoris expirat per mortem naturalem conservatoris l. Et quia §. Ideoque, de jurisdictione, omn. Judic. ubi generaliter dicitur, quod si is, qui mandavit jurisdictionem, decesserit, antequam res ab eo, cui mandata est jurisdictione, geri cœperit, mandatum solvitur; & ratio est, quia jurisdictione non transit efficaciter in delegatum, aut subdelegatum, sed manet penes delegantem, vel subdelegantem; cap. Quamvis 7. de offic. delegat. in 6. Glossa ibid. verb. Efficaciter. Nidus loc. cit. num. 11. & alii passim. Et Glossa ibid. habet etiam in morte civili, vel quia officium ipsius terminet per lapsum temporis præfixi, vel quia conservator privatus sit tali officio, quia jurisdictione subdelegati, seu subconservatoris est accessoria, ideoque corrumpitur corruptæ principali; arg. cit. cap. Quamvis, & Glossa ibid. Moneta loc. cit. cap. 10. num. 26. Nidus loc. cit. num. 11. & 12. & alii. Per excommunicationem autem, vel suspensionem conservatoris, vel etiam ipsius subdelegati, vel subconservatoris, non expirat in subdelegato, seu subconservatore jurisdictione, sed solum suspenditur, donec conservator, vel subconservator absolvatur. Moneta loc. cit. num. 384. Nidus loc. cit. num. 13. & alii. (Vid. verb. Delegare.)

Notorius debitor Regularium coram eorum conservatore conveniri potest. Moneta de conservatorib. c. 7. num. 268. Portel. in dub. Regul. verb. Conservator. Roderic. tit. 1. quest. 65. art. 12. Dian. in opere Coord. part. 19. tract. 2. resolut. 270. Peyrin. ad constitut. 5. Gregor. XV. §. 6. num. 50. Nidus de conservator. cap. 4. partic. 3. num. 1. Lezana loc. cit. num. 63. Passerin. num. 123. & alii passim. Et ratio est, quia debitor notorius solvere nolens, Regularibus injuriarum manifestam facit, injuria enim est omne damnum culpa illatum; l. prim.

segun que los derechos comunes disponen, y los Santos Padres que lo ordenaron, y no mas, ni allende, no embargante qualesquier comisiones, ó poderes que les sean, ó son dados: Vid. verb. Bannitus. L. 18. tit. 10. lib. 1. Ind. Mandamos á nuestras Audiencias Reales, que no permitan á los Prelados de las Religiones hacer

prim. ff. de injur. & conservatores Regularium sunt præcipue eis concessi ad ipsos defendendos à manifestis injuriis; cap. Statuimus 1. & cap. Hac constitutione 15. de offic. delegat. in 6. & gaudet facultate defendendi Regularis à manifestis injuriis, & violentiis, quæ illis de facto inferuntur, dum à suis possessionibus deiciuntur, propriisque bonis frui, vel uti impediuntur, ex decreto Sacre Congreg. Concilii relato supra sub num. 2. adeoque possunt procedere contra notorios debitores Regularium. Tunc autem esset debitum notorium, si debitor fateretur debitum, & negaret se solvere velle, vel si debitum per instrumentum, ac testes omni exceptione majores constaret, etiamsi à debitor negaretur; in præsentem enim injuria, nedum sumitur pro contumelia, vel convicio; sed pro omni eo, quod fit contra jus, & est in damnum monasterii. Inscript. de injur. in princip. & Canonistæ communitur in d. cap. Statuimus, quia omne illud dicitur injuria, quo jus alterius offenditur, nec fieri potest nisi injuria: Joan. de la Cruz de stat. Bell. cap. 10. dub. 5. conclus. 1. Diana & Nidus loc. cit. & alii.

33 Quando Regularis sunt debitores Laicis, vel Clericis secularibus, non possunt conveniri coram Ordinario, sed conveniendi sunt coram suo Superiore, vel Conservatore. Guttier. lib. 3. pract. cap. 10. Ferosin. in cap. Si Clericus quest. 12. num. 40. de foro competent. Bordon. resolut. 95. num. 20. Cevali. de commun. contra communes quest. 897. num. 813. Passerin. num. 133. Nid. cap. 4. partic. 4. num. 3. & alii. Dispositio enim constitutionis Innocentii V. incip. Volentes: editæ in Generali Concilio Lugdunensi, & Concilii Trident. sess. 7. cap. 14. quæ subdamentum præbere videtur opinantibus in contrarium, non comprehendit Regulares, ideoque juxta eorum privilegia coram suis Superioribus, vel Conservatoribus sunt conveniendi, ut testatur resolutum à Sacra Congregatione Concilii. Aldrete in allegat. pro omnimoda Regul. exemptione part. 1. cap. 7. num. 2. & Barbosa super Trident. sess. 7. cap. 14. num. 2. & de offic. & potest. Episcop. part. 3. allegat. 105. num. 23. his verbis: "Sac. Congreg. Concil. Trident. inter-pretum declaravit, neque constitutione in Generali Concilio Lugdunensi edita, quæ incipit Volentes, neque decreto ejusdem Concilii sess. 7. de reformat. cap. 14. comprehendit Regulares, ideoque juxta eorum privilegia coram suis Superioribus, vel Conservatoribus esse conveniendos." Et sic Regularis pro contractibus, vel debitis, si intra monasteria maneant, conveniendi sunt coram suis Superioribus, non autem coram Ordinariis, aut alibi. Ita fuisse decisum à Sacra Congregatione Concilii refert Narbona l. 59. gloss. 1. num. 230. tit. 4. l. 2. Recopilat. & Barbosa super Trident. sess. 7. cap. 14. numer. 2. Ordinarius enim conceditur jurisdictione conveniendi coram se Regularis solum quando ipsi Regulares Judicem Conservatorem non habent, ut in penam post Gregor. XIII. statuit Gregor. XV. constitution. incip. Sanctissimus §. 7. contra ipsos Regulares, qui conservatores non elegerunt, ut coram Ordinariis conveniri debeant; & censuit Sacra particularis Congregatio deputata ab Innocentio X. 16. Aprilis 1648. ad sextum dubium, conceptum his verbis: Sexto: An Regularis prædicti gravati ære alieno, vel ad rationem obligati, vel testamentariorum executores, possint conveniri coram Ordinario, si conservatores non nominaverint, intra tempus ab Ordinario præscriptum? Respondit: "Regularis in causis præfatis coram Ordinario loci esse conveniendos, si ad præscriptum constitutionis Sanctæ memor. Gregor. Conservatores non elegerint, ipsique electionis documentum intra præfixit tempus in actis Curie ipsius Ordinarii non

eis haud inesse ad cognoscendum in causis, in quibus propter debita particularia, laicis, vel secularibus Clericis convenire Regularis judicialiter intendunt, quamvis illi notorii sint debitores, dum consideratio excessus, & gravitatis non reperitur.

vejaciones con la mano de los Jueces Conservadores que nombraren, pues estos no se han de elegir sino en casos muy graves, con las circunstancias que permite el derecho, y no en cosas ordinarias, y de poca conside-

"exhibuerint;" & confirmavit ipse Innocentius X. 14. Maji 1648. constitut. incip. Cum sicuti accepimus.

Conservatores Regularium cognoscere possunt de injuriis factis servis, familiaribus, Syndicis, & Procuratoribus ipsorum, in quantum talibus reduplicative; ut colligitur ex variis constitutionibus pontificis pro concessionem Conservatorum Regularium editis, & signanter ex constitutione S. Pii V. incip. Ad hoc nos Deus: in qua concessit Conservatoribus à Dominicanis electis, ut possint procedere "adversus inferentes eis, aut eorum Procuratoribus, agentibus, servitoribus, & familiaribus in præmissis, & eorundem aliquo, molestias, injurias, gravamina &c." quæ concessio si intelligatur de injuriis, ac violentiis manifestis, non videtur sublata per d. Gregorianam incip. Sanctissimus: non enim adduci potest clausula aliqua d. Gregorianæ derogatoria Piani privilegii, ut eam legenti patet: Item ex constitutione Clementis VII. incip. Dum consideremus, pro Minoribus de Observantia edita, ubi sic præcise statuit: "Ut in quibusvis causis, & rebus ipsis, Sydicum, & Procuratores concernentibus, civilibus, criminalibus, & mixtis, nonnisi coram Judicibus Conservatoribus domorum illorum, quarum ipse Syndicus, & Procurator fuerit, de justitia respondere teneatur." Quæ constitutio Clementis VII. quantum ad Syndicos, & Procuratores, una cum variis Sac. Congr. Concil. decretis fuit confirmata ab Innocentio XI. 7. Julii 1686. constitut. incip. Aliis pro patre: Et sic tenent Passerin. in cap. Hac constitutione 15. de offic. delegat. in 6. num. 177. Roderic. tom. 1. quest. 65. art. 17. & tom. 3. quest. 39. art. 4. Portel. in verb. Syndicus n. 5. Casatub. in compend. privileg. verb. Procuratores Fratrum n. 13. Lezana part. 2. cap. 10. d. n. 65. Anton. à Spiritu Sancto in Direct. Regul. tom. 1. disp. 1. sect. 4. n. 219. Villalobos part. 2. tract. 35. diss. 9. Nidus loc. cit. cap. 5. partic. 4. n. 1. & 10. & alii passim. Et hujusmodi privilegia respectu injuriarum, quæ sunt servis, familiaribus, Syndicis, & Procuratoribus in quantum talibus reduplicative, certum est non esse abrogata, quia non continent nisi id, quod est de jure communi decernente, quod injuria facta servo, familiari, aut cuicunque in principalem redundet, qua de causa conservator ecclesie cognoscere potest, cum injuria servis ecclesiarum illata, ecclesiis ipsis irrogetur; c. Ecclesiarum Servos 60. caus. 12. quest. 2. cap. Nullus Judicium de foro competent. quod est generaliter verum, quotiescumque causa injuria servum dominum respicit. Nidus loc. cit. num. 11. Passerin. loc. cit. num. 173. & apud ipsum Farinac. part. 4. pract. quest. 105. inspect. 6. & alii.

Regularis quicumque in casu, quo Episcopus præcipiat decreta aliqua Concilii Tridentini ab ipsis observari, non possunt eligere conservatores sub prætextu, quod hujusmodi præcepta infringant sua privilegia. Sic expresse censuit Sacra particularis Congregatio deputata ad primum dubium conceptum his verbis: I. An in casu, quo Episcopus præcipiat decreta aliqua Concilii Tridentini à Regularibus observari, & executioni demandari, Regularis quicumque, etiam Societas Jesu sub prætextu, quod hujusmodi præcepta infringant sua privilegia, possint eligere conservatores? "Congregatio respondit, si Episcopus præcipiat Regularibus, etiam Societ. Jesu, ut decreta aliqua Concilii Tridentini observent, ac exequantur, illis casibus, in quibus per ipsum Concilium, vel constitutiones apostolicas, exempti subiciuntur jurisdictioni Episcopi, minime licere ipsis Regularibus ob eam causam conservatores eligere."

Nec Regulares possunt conservatores Judices assignare, quando Ordinarius procedit juris ordine servato

racion. Y á los Fiscales de las Audiencias, que tengan particular cuidado, y atencion de que se observen precisa, y puntualmente las leyes que de esto tratan, pues es de las principales obligaciones de sus officios.

adversus Regulares in casibus, in quibus per Concilium, vel constitutiones apostolicas ipsi subiciuntur, ut in terminis censuit dicta deputata particularis Congregatio in responsione ad secundum dubium conceptum ut sequitur: Secundo: An quando Ordinarius procedit juris ordine servato adversus Regulares predictos in casibus, in quibus per Concilium, vel constitutiones apostolicas ipsi subiciuntur, possint conservatores Judices assignare?

40 Respondit, ut ad proximum, non posse. Quod utrumque decretum fuit confirmatum cum variis aliis ab Innocentio X. 14. Maji ejusdem anni 1648. constituit. *incipit*. Cum sicut accepimus. Conservatores, quando sunt Presbyteri seculares, tam in civilibus, quam in criminalibus seu mixtis subiciuntur loci Ordinario, ut absolute respondit Sacra Congregatio. Concil. in Favent. 17. Decembris 1667. ad quartum, apud Cardinal. de Luca de jurisdictione disc. 4. num. 2.

41 De conservatoribus anno 1743. integrum tractatum edidit P. Petrus Maria Forti Societatis Jesu. "At non multum (inquit S. M. Benedicimus XIV. de synod. diocesan. lib. 4. cap. 6. num. 6.) huic. Auctori fidendum est, quoniam multis in locis, sed præsertim articulo 21. Judicium conservatorum jurisdictionem ultra limites præmittit à Sacris Urbis Congregationibus eisdem præscriptis."

### CONSTITUTIO UNIGENITUS.

42 **C**onstitutio Unigenitus tantam sibi vindicat auctoritatem, & obsequium, ut eidem publice refragantibus, veluti notoriis, ac publicis peccatoribus, denegandum sit Sanctissimum Viaticum, Bened. XIV. constituit. *incipit*. Ex omnibus §. 3. Publici autem, atque notorii sunt refractarii, in casu, de quo agitur, quicumque per sententiam à Judice competente prolata, et declarati sunt, eo nomine, quod debitam prædictæ constitutioni Unigenitus venerationem, obsequium, & obedientiam contumaciter denegaverint: Quicumque etiam hujusmodi contumacia reos se in Judio confessi sunt. Ac præterea illi, qui quamvis nec à Judice condemnati, neque reatum suum in Judio confessi fuerint, nihilominus, vel eo tempore, quo sacrum Viaticum suscepturi sunt, propriam inobedientiam, & contumaciam adversus constitutionem Unigenitus sponte profiterentur; vel in antea-ctæ vite recursu aliquid evidenter commisisse videntur, manifeste oppositum venerationi, obsequio, & obedientiæ, eidem constitutioni debite, in eoque facto moraliter perseverare, quod ita vulgo cognitum est, ut publicum scandalum inde exortum non adhuc cessaverit. Sunt verba præcisè dictæ constitutionis sub §. 4.

(D. Clemens XI. Romanus Pontifex, Divique Petri Successor, Jesu Christi Vicarius, Caput, Pater, Catholicæ ecclesie, ac Apostolicæ Pastor universalis, infallibilis fidei Magister, per cuius os Spiritus Sanctus suæ sponte Catholicæ ecclesie loquitur, sicut antiquitus locutus est per Prophetas, ne ulterius prava dogmata Janseniana, & Quesnelliana, tamquam sectæ perditionis serperentur, constitutionem supra enuntiatam publicari mandavit, per quam non minus quam unam, & centum propositiones condemnavit, cum penis in contravenientes decernendo; nihil mirum, si prædicta constitutio in hoc opere inseratur, utpote hispanicæ regionis toto intimo cordis affectu, æquale humilitate obsequium eidem & reverentiam debitam præstiterint, similique ratione constitutio altera ab eodem Sanctissimo Domino Nostro ex throno apostolico edita, in qua omnes Jesu Christi fideles omnis nationis, quæ sub caelo est, jubet, hæreticos vitare adversarios: quæ quidem constitutio *incipit*. Pastoralis officii: ideo ad litteram utraq; subsequitur:

Universis Christi Fidelibus salutem, & apostolicam benedictionem.

**U**nigenitus Dei Filius pro nostra, & totius mundi salute Filius hominis factus, dum discipulos suos doctrina veritatis instrueret, universamque ecclesiam suam in Apostolis erudiret, presentia disponens, & futura prospiciens, præclaro, ac saluberrimo documento nos admonuit, ut attenderemus à falsis Prophetis, qui veniunt ad nos in vestimentis ovium, quorum nomine potissimum demonstrantur magistri illi mendaces, & in deceptione illusores, qui ex splendida pietatis specie prava dogmata latent insinuantes, introducunt sectas perditionis sub imagine sanctitatis, utque facilius incautos obrepant, quasi deponentes lupinam pellem, & sese divinæ legis sententiis, vel ut quibusdam ovium vellibus obvolvunt, Sanctarum Scripturarum, adeoque etiam ipsius novissimi Testamenti verbis, quæ multipliciter in suam, aliorumque perditionem depravant, nequiter abutuntur: antiqui scilicet, à quo progeniti sunt, mendacii parentis exemplo, ac magisterio edocti, nullam omnino esse ad fallendum expeditiorem viam, quam ut ubi nefarii erroris subintroducitur fraudolentia, ibi Divinorum Verborum prætentatur auctoritas.

His non vere divinis monitis instructi, ubi primam, non sine intima cordis nostri amaritudine, acceptimus, librum quemdam gallico idiomate olim impressum, & in plures tomos distributum, sub titulo: *Le Nouveau Testament en François, avec des réflexions morales sur chaque verset* &c. A Paris 1699. Alii vero: *Abbrégé de la morale de l'Évangile, des Actes des Apôtres, des Épîtres de S. Paul, des Épîtres Canoniques, & de l'Apocalypse, ou Pensées Chrétiennes sur le texte des Livres Sacrés*, &c. A Paris 1693. & 1694. Tametsi aliàs à nobis damnatum, ac reuera catholicis veritatibus pravarum doctrinarum mendacia multifariam permittent, adhuc tamen tamquam ab omni errore immunem à pluribus haberi, Christi fidelium manibus passim obtundi, ac nonnullorum novas semper tentantium consilio, & opera studiose nimis quaque versum disseminari, etiam latine redditum, ut perniciosæ institutionis contagium, si fieri possit, pertransseat de gente in gentem, & de regno ad populum alterum: versutis hujusmodi seductionibus, atque fallacis creditum nobis Dominicum gregem in viam perditionis sensim abduci summopere doluimus: adeoque pastoralis non minus curæ nostræ stimulis, quam frequentibus orthodoxæ fidei zelatorum querelis, maxime vero complurium venerabilium fratrum, præsertim Galliæ Episcoporum, literis, ac precibus excitati, gliscenti morbo, qui etiam aliquando posset in deteriora quaque prorruere, validiori aliquo remedio obviam ire decrevimus.

Et quidem ad ipsam ingrumentis mali causam providè nostræ considerationis intuitum convertentes, perspicue novimus summam hujusmodi libri perniciem, ideo potissimum progredi, & invalescere, quod eadem intus lateat, & velut improba sanies, non secto ulcere, foras erumpat; cum liber ipse primo aspectu legentes specie quadam pietatis illiciat; molli enim sunt sermones jus super oleum: sed ipsi sunt jacula, & quidem intento arcu ita ad nocendum parata, ut sagittæ in obscuro rectos corde. Nihil propterea opportunius, aut salubrius præstari à nobis posse arbitrari sumus, quam si falacem libri doctrinam generatim solummodo à nobis hæctenus indicatam, pluribus sigillatim ex eo excerptis propositionibus, distinctis, & apertis explicaremus, atque universis Christi fidelibus noxia zizaniorum semina è medio tritici, quo tegebantur educta, velut ob oculos exponeremus. Ita nimirum denudatis, & quasi in propatulo positus, non uno quidem, aut altero, sed plurimis, gravissimisque, tum pridem damnatis, tum etiam nove adinventis erroribus, plane confidimus, benedicente Domino,

no, fore ut omnes tandem aperta jam, manifestæque veritati cedere compellantur.

Id ipsum maxime re catholica futurum, & sedandis præsertim in florentissimo Galliæ regno exortis ingeniorum varie opinantium, jamque in acerviores scissuras pro tendentium dissidiis apissime profectum: conscientiarum denique tranquillitati per utile, & propemodum necessarium, non modo præfati Episcopi, sed & ipse in primis charissimus in Christo filius noster Ludovicus Francorum Rex Christianissimus, cujus eximium in tuenda catholice fidei puritate, extirpandisque erroribus zelum, satis laudare non possumus, sæpius nobis est contestatus, repetitis propterea vere piis, & Christianissimo Rege dignis officiis, atque ardentibus votis à nobis efflagitatis, ut instanti animarum necessitate prolata quantoties apostolice censura judicii consuleremus.

Hinc, adspirante Domino, cujusque coelesti ope confisi, salutæ opus sedulo, diligenterque, ut rei magnitudò postulabat, aggressi sumus, ac plurimas ex prædicto libro, juxta supra recensitas respectivè editiones, fideliter extractas, & tum gallico, tum latino idiomate expressas propositiones à compluribus in sacra theologia Magistris, primoquidem coram duobus ex Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesie Cardinalibus accurate discuti: deinde vero coram nobis, adhibito etiam aliorum plurimorum Cardinalium consilio, quam maxima diligentiâ, ac maturitate, singularum insuper propositionum cum ipsomet libri textu, exactissime facta collatione, pluris iteratis congregationibus, expendi, & examinari mandavimus. Hujusmodi autem propositiones sunt, quæ sequuntur videlicet.

1. "Quid aliud remanet animæ, quæ Deum atque ipsius gratiam amittit, nisi peccatum, & peccati consecutiones, superba paupertas, & segnis indigentia; hoc est generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?"

2. "Jesu Christi gratia, principium efficaciæ boni cujusque generis, necessaria est ad omne opus bonum; absque illa non solum nihil fit, sed nec fieri potest."

3. "In vanum Domine præcipis, si tu ipse non das, quod præcipis."

4. "Ita Domine, omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo."

5. "Quando Deus non emollit cor per interiore munctionem gratiæ suæ, exhortationes, & gratiæ exteriore non inservit, nisi ad illud magis obdurandum."

6. "Discrimen inter fœdus Judaicum, & Christianum est, quod in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in sua impotentia: in isto vero Deus peccatori dat, quod jubet, illum sua gratia purificando."

7. "Quæ utilitas pro homine in vetete fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, ponendo ipsi suam legem? Quæ vero felicitas non est admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit à nobis?"

8. "Nos non pertinemus ad novum fœdus, nisi in quantum participes sumus ipsius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit."

9. "Gratia Christi est gratia suprema, sine qua contra Christi numquam possumus, & cum qua nunquam illum abnegamus."

10. "Gratia est operatio manus Omnipotentis Dei, quæ nihil impedire potest, aut retardare."

11. "Gratia non est aliud, quam voluntas Dei, jubentis, & facientis, quod jubet."

12. "Quando Deus vult salvare animam, quocumque tempore, quocumque loco effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei."

13. "Quando Deus vult animam salvare facere, & eam tangit interiori gratiæ suæ manu, nulla voluntas humana ei resistit."

14. "Quantumcumque remotus à salute sit peccator obstinatus, quando Jesus se ei videndum exhibet lumine salutari suæ gratiæ, oportet, ut se dedat, accurrat, sese humiliet, & adoret Salvatorem suum."

15. "Quando Deus mandatum suum, & suam æternam locutionem comitatur unctioe sui Spiritus, & interiori vi gratiæ suæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit."

16. "Nullæ sunt illecebæ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil resistit Omnipotenti."

17. "Gratia est vox illa Patris, quæ homines interius docet, ac eos venire facit ad Jesum Christum; quicumque autem non venit, postquam audivit vocem exteriorioris filii, nullatenus est doctus à Patre."

18. "Semen verbi, quod manus Dei irrigat, semper affert fructum suum."

19. "Dei gratia nihil aliud est, quam ejus Omnipotentis voluntas: hæc est idea, quam Deus ipse nobis tradidit in omnibus suis Scripturis."

20. "Vera gratiæ idea est, quod Deus vult sibi à nobis obediri, & obediri, imperat, & omnia fiunt, loquitur tanquam Dominus, & omnia sibi summissa sunt."

21. "Gratia Jesu Christi est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpote quæ est operatio voluntatis Omnipotentis, sequela, & imitatio operationis Dei incarnantis, & resuscitantis filium suum."

22. "Concordia Omnipotentis operationis Dei in corde hominis, cum libero ipsius voluntatis concursu, demonstratur illico nobis in incarnatione, veluti in fonte, atque archetypo omnium aliarum operationum misericordiæ, & gratiæ, quæ omnes ita gratiæ, atque ita dependentes à Deo sunt, sicut ipsa originalis operatio."

23. "Deus ipse nobis ideam tradidit Omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam, qua creaturæ è nihilo producit, & mortuus reddit vitam."

24. "Justa idea, quam Centurio habet de Omnipotentia Dei, & Jesu Christi in sanandis corporibus solo motu suæ voluntatis, est imago ideæ, quæ haberi debet de Omnipotentia suæ gratiæ in sanandis animabus à cupiditate."

25. "Deus illuminat animam, & eam sanat æque ac corpus sola suæ voluntate; jubet, & ipsi obtemperatur."

26. "Nullæ dantur gratiæ nisi per fidem."

27. "Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum."

28. "Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio."

29. "Extra ecclesiam nulla conceditur gratia."

30. "Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter."

31. "Desideria Christi semper habent suum effectum, pacem intimo cordium inferit, quando eis illam optat."

32. "Jesu Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine primogenitos, id est, electos, de manu Angeli exterminatoris."

33. "Proh quantum oportet bonis terrenis, & sibi metipsi renuntiasse, ad hoc ut quis fiduciam habeat sibi, ut ita dicam, appropriandi Christum Jesum, ejus amorem, mortem, & mysteria, ut facit S. Paulus dicens: qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me."

34. "Gratia Adami non producebat nisi merita humana."

35. "Gratia Adami est sequela creationis, & erat debita nature sanæ, & integræ."

36. "Differentia essentialis inter gratiam Adami, & status innocentie, ac gratiam christianam est, quod primam unusquisque in propria persona recepit: ista vero non recipitur, nisi in persona Jesu Christi resuscitati, cui nos uniti sumus."

37. "Gratia Adami sanctificando illum in semetipso, erat illi proportionata; gratia Christiana nos sanctificando in Jesu Christo, est Omnipotens, & digna Filio Dei."

38. "Peccator non est liber, nisi ad malum, sine gratia liberatoris."

39. "Voluntas, quam gratia non prevenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum, ardoris, nisi ad se præcipitandum, virtutum, nisi ad se vulnerandum; est